Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

De analogia: observationes in Varronem grammaticamque Romanorum

https://hdl.handle.net/1874/296167

A^m 192.
1930.

DE ANALOGIA

OBSERVATIONES IN VARRONEM GRAMMATICAMQUE ROMANORUM

R. J. DAM

DE ANALOGIA
OBSERVATIONES IN VARRONEM GRAMMATICAMQUE ROMANORUM

Aan mijn Moeder.

Aan mijn Zusters.

RIJKSUNIVERSITEIT TE UTRECHT
1897 0289

A 192 1930

DE ANALOGIA

OBSERVATIONES IN VARRONEM GRAMMATICAMQUE ROMANORUM

SPECIMEN LITTERARIUM INAUGURALE QUOD EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI JHR B. C. DE SAVORNIN LOHMANN JUR. DOCT. ET IN FAC. JUR. PROF. ORD. AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU ET NOBILISSIMAE FACULTATIS LITTERARUM ET PHILOSOPHIAE DECRETO PRO GRADU DOCTORATUS SUMMISQUE IN LITTERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS IN ACADEMIA RHENOTRAIECTINA RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS FACULTATIS EXAMINI SUBMITTET

RUDOLPHUS JANUS DAM
BARNEVELDENSIS

DIE XVI MENSIS DECEMBRIS ANNI MCMXXX
HORA IV

BIBLIOTHEEK DER
RIJKSUNIVERSITEIT
UTRECHT.

CAMPIS — APUD J. H. KOK, EDITOREM — 1930

God den Heere zij mijn ootmoedige dank gebracht, Die, nadat een eerste proefschrift onverwachts werd geweerd aan de Vrije Universiteit, welker beginselen ik met hart en ziel blijf toegedaan, tot het ondernemen en volbrengen van een nieuwen arbeid moed verleende en krachten.

Vergun me, Hooggeleerde WAGENVOORT, hooggeschatte Promotor, U mijn warmen dank te betuigen voor de bereidwilligheid, waarmede Ge Uw steun hebt toegezegd en steeds verleend, voor tal van raadgevingen en correcties, voor Uw ruimhartigheid, die nimmer eigen zienswijs opdrong. Dat het voorrecht Uwe colleges te mogen volgen me nimmer te beurt viel, acht ik een gemis, slechts ten deele vergoed door de herinnering aan genotvolle uren, waarin Ge ons, Arnhemsche gymnasiasten, de wereld van Vergilius en Horatius ontsloot.

Met eerbiedige dankbaarheid herdenk ik het, te kort ontvangen, onderricht in de Latijnsche Taal en Letterkunde van Prof. Dr J. WOLTJER, een man, die onze vereering afdwong niet minder door zijn trouw en moedig belijden der Gereformeerde principia op philologisch terrein dan door de zeldzame diepte en breedte zijner kennis.

U, Hooggeleerde R. H. WOLTJER, dank ik voor wat Uwe colleges in de Grieksche Taal en Letterkunde ons hebben geleerd en voor Uw bij herhaling ondervonden vriendelijke bejegening.

Voorts moge ik hier het wijsgeerig onderricht herdenken van Prof. Dr G. H. J. W. J. GEESINK.

Een enkel woord zij gewijd aan de nagedachtenis mijns Vaders, die grooter invloed op mijn vorming heeft gehad dan iemand anders, maar de voltooiing dezer studie niet mocht zien.

Ten slotte zeg ik allen dank, die, op welke wijze ook, bij het schrijven en uitgeven mijner dissertatie hun hulp hebben verleend.

PRAEFATIO.

Analogiae disciplina cardo putandus est grammaticae antiquae, ab aliis artibus ut rhetorica scientiaque iuris non separanda, subnixa certe fundamento philosophiae eiusmodi, quam illa tempora probaverint, haec magis deserant, utique nostris studiis perdigna, cum praesertim vetusta doctrina et per multa saecula regnaverit, quippe nuper demum exacta, neque inutilis sit vel certe ignoranda omnibus quicumque de summis grammaticae quaestionibus cogitare volent.

De analogia, quam dicebant Romani, cum alii praeclarissima ea quidem sed plus minusve *παρέργως* scripserunt (LERSCH, STEINTHAL, al.) tum in lucem edidit peculiarem disputationem C. WOLDT (*De Analogiae disciplina apud grammaticos Latinos* Regimonti MCMXI); hic tamen ad ipsius analogiae notionem potissimum se limans praetereaque omissis VARRONIS de L. L. libris, quibus nihil pretiosius ad interiorem analogiae sensum cognoscendum. Quare non supervacuum duxi paucula colligere de notionibus sententiisque ad eam disciplinam revocandis, quibus usi quasque tutati sunt VARRO ceterique grammatici Romani.

Praeter illius libros nobilissimos L. L. VIII—X perlustravimus *Grammaticae Romanae Fragmenta* (ed. G. FUNAIOLI), *Grammaticos Latinos* (ed. H. KEIL; suppl. curavit H. HAGEN), *Charisii artem* (ed. C. BARWICK), *artem Clementis* (primum editam ab IOANNE TOLKIEHN, Lipsiae MCMXXVIII), nonnulla alia hic illic allata.

Ex antiquioribus cum sit VARRO longe gravissimus auctor, materiam conquisitam per duo capita divisimus ita, ut de illo actum sit priore, altero de posterioribus, qui vero circa VARRONIS aetatem floruerunt commemorati sint, ubicumque ratio exigere videretur. Tertio capite quibus gravissimis rebus huc pertinentibus ab antiquis hodierni grammatici dissentiant quidque de iis iudicandum arbitremur adumbrare temptavimus.

Omnino quid sibi velit universa doctrina quaesivimus potius quam singulorum singulis de nominibus verbisque sententias, quamquam sic quoque discrepantiae neque futtiles neque paucae apparent.

Aperte tamen fatebor quales „fontium" quidem investigationes et

distinctiones nonnulli viri doctissimi sagacitate miranda et copiosissima doctrina instituerint (JEEP, BÖLTE, BARWICK, al.) maiorem subtilitatem ac divinationem habere, quam ut ego quidem aut talia aggredi ipsi aut aliunde mutuari ausus sim.

Hac saepe ratione usus sum, ut huius disciplinae certa et quasi propria vocabula quid valerent vel quibus quotque modis mutavissent sensus observare conarer, cum praesertim nec antiqui in utendis istis nimis fuerint diligentes nec concordent semper interpretationes recentiorum. Quodsi quis notiones plures tractatas putat quam huius opusculi propositum sinat: in scaena, ut ita dicam, grammaticae antiquae analogia nobis quidem non e multis personis una, sed ea videtur, quae ad alias omnes fere pertinens primasque agens partes omissis ceteris minus recte consideretur. Vereor magis ne nimis multa potius desiderentur, quae huc revocari par fuit.

CAPUT I. DE M. TER VARRONE.

§ 1. De Analogiae Fundamento. [1])

1. *Declinatio naturalis.*

Artissime conectit Varro analogiam atque naturam, adeo ut quam declinationem constantem arbitratur et analogiae modeste parentem eam appellet *naturalem, voluntariam* vero quae, idem declarans atque posteriorum derivatio, humanae sit libidinis (VIII 21 sqq.; alibi).

Quin etiam quoniam ad naturam verborum analogia perfecta derigitur (X 74) atque adeo cum natura rerum prope aequatur (X 56), declinationem illam breviore nomine *naturae* indicat (X 51; cf. IX 4; X 61 *a* natura).

Quae quidem nomina haec dicunt: non regi declinationem, de qua agitur, nostra voluntate nec hominum licentia, verum eundem ordinem, eandem incorruptam constantiam servare atque ipsa ostendat natura. Nec mirum, si de naturali sua declinatione disserens ea vocabula, eas similitudines amat Varro, quae de arboribus admonent et animalibus. Etenim nata est analogia (IX 3; X 69), est propagata (IX 62; cf. VIII 1); est genus verborum fecundum, est genus sterile, quod ex se parit nihil et analogiis caret (VIII 9; cf. X 79); habent verba suas agnationes ac gentilitates (VIII 4).

Cave autem putes *sponte* declinationes in hominum pectoribus esse ortas: excogitata est analogia, consulto ab antiquis creata (VIII 3, 5; cf. fr. 115), ita tamen, ut regerentur, immo ducerentur a natura (VIII 10). [2])

---

[1]) Cum minus nobis propositum esset conspectum Varronis librorum addere iis, quos accurate alii fecerunt quam τὸ σύστημα atque interiorem sententiarum contextum indagare, nec singulas perlustravimus §§, nec omnes locos apposuimus, quibus singula possent illustrari.

Usi sumus editione, quam curaverunt vv. dd. G. Goetz et F. Schoell, Lipsiae MCMX.

[2]) Quam ob rem non sequor Mulleri (*De Veterum imprimis Romanorum Studiis etymologicis*, Trai. ad Rhen. 1910, p. 153) sententiam putatis evanuisse his temporibus illam mentis humanae fiduciam, „qua freti etiam Aristarchei ipsum linguae ordinem et concinnitatem indicium esse credebant, linguam ab hominibus ratione usis esse formatam e. q. s."

2. *Natura fundamentum.*

Scilicet natura est analogiae fundamentum et quidem sensu subtiliore quam supra apparuit. Hoc dico: quae analogia est in sermone, ea analogiae *naturalis* imaginem quasi speculo reddit. Iam noveramus cognationem verborum, sed ea est inventa, ut „quae inter se *rerum cognatio* esset, appareret", unde fit, ut in omnium hominum sermonibus reperiatur (VIII 3).

Ea potissimum est causa, cur lingua Graeca et Latina, in magna verborum et sonorum dissimilitudine, declinationis formae miram praestent similitudinem (cum VIII 20 conferantur IX 31, 32) [1]).

Neque minus ea est causa, si in sermone multa desunt vel absunt certe, quae analogia exigere videtur. *Quicquid in rerum natura deficit, id in oratione non inveniri nil est quod miremur.* Eo argumento fretus adversarios propellit VARRO etiam atque etiam deficientes formas sibi exprobrantes: „analogiae fundamentum esse obliviscuntur naturam et usum" (IX 63). [2])

Quod h. l. cum natura usum consociat — non de fundamen*tis* sed de fundamen*to* loquitur VARRO! — id nihil habet difficultatis. Nempe ea indicatur natura, quam homo novit, qua *utitur*, siquidem nonnisi per homines oratio a natura conditur (VIII 10 „duce natura" coll. c. „quarum rerum usus erat simplex"). Licet usus ille habeat aliquid, quod ad *hominem ipsum* pertineat (cf. VIII 14) [3]), hoc est tenendum ne homines quidem a natura esse alienos: usus non servit libidini.

Itaque orationis ordo est vera imago, est *ἀπαύγασμα* ordinis naturae rerum (VIII 11, 12, 13), cuius „discrimina" in sermone quasi perlucent (VIII 14 coll. c. VIII 1).

Namque tota rerum natura innumerabilibus gaudet analogiis. Quod venustissime a VARRONE adumbratum (IX 23—34) exscribere non attinet. Sed hoc est premendum quod ea disputatione, sive laude digna sive minus, in ipsam VARRONIS philosophiae, quatenus pertinet ad sermonem, medullam penetravimus. Iam ultimum annectit argumentum

---

[1]) REITZENSTEIN (*M. Ter. Varro und Joh. Maur. v. Euchaita* Leipzig, 1901, p. 35 sqq.) doctissima disputatione exponit in etymologia id egisse Stoicos — cuius rei apud VARRONEM non pauca vestigia exstent — ut in utraque lingua easdem impositionum formas, easdem rationes impositionis valuisse demonstrarent, unde scilicet appareret cum rectas esse singulas etymologias, *tum φύσει creatum sermonem.*

[2]) Cave autem hanc naturam, quae est *rerum*, confundas cum illa, quae in *oratione* et verbis versatur. Utrique additur *usus* (cf. IX 4 cum IX 63), hic quoque duplex, modo verborum, modo rerum. Cf. praeterea p. 15. Neque apud V. hic usus idem valet atque consuetudo: „usui(s) species videntur esse tres: una consuetudinis veteris, altera consuetudinis huius, *tertia neutra.*" (X 73)

[3]) Vide quam lepida naturae ususque exempla afferat IX 56.

ita, ut omnia bene composita ac cohaerentia quasi anuli catellae contineantur: quippe non modo analogia sermonis naturae ritu exsistit, ex hominum libidine exempta, ac vestigia artissime premit naturae, quae et ipsa constantia atque ordine est insignis, verum etiam, cum oratio ex octava parte animae sit nata, ea quoque non habere analogias non potest (IX 30).

Quae cum ita sint, significationis quoque rationem haberi sponte intelligitur (IX 40; IX 55 sqq.; 7, 27). [1])

Ne autem putemus ambas naturae atque orationis analogias nihil inter se distare: sunt rerum analogiae, quibus non itidem analogiae declinationis, quae respondeant, inveniantur. (IX 52; X 19 (18)). [2])

3. *Fragm. 115.* (G.-Sch.; = 268 Fun.) [3])

De hoc fragmento paulo fusius est agendum, cum quod v. q. e. natura sensum mutavit, tum imprimis, quod auctore Usenero eandem naturae vocem viri docti prave solent interpretari, nisi vehementer fallor.

Quod fragmentum si legimus nulla opinione praeiudicata ducti hoc invenimus: rebus quattuor latinitas *constat*,

a. natura, quae praebet nucleum quendam solidum ac immutabilem (Germanice fortasse „eisernen Bestand"), quem qui violat non peccat sed nihil prorsus dicit (scrimbo pro scribo);

b. ordinatione eius quasi materiae, quae per declinationem verba a natura data in discrimina ire cogit (cf. VIII 1);

---

[1]) Si haec vere sunt disputata, plus valet Varronis natura, quam vult Muller (o. l. p. 152): „Natura idem iam est atque ordo, concinnitas, nihil aliud."

[2]) Qui eam declinationem, quae regulis obnoxia sit, *naturalem* appellaverit, nonne existimandus est artificiis analogiam derogasse? In Varrone est quod aiamus, est quod negemus.

Si modo IX 34 satis intellegam, disertis ibi verbis artem *vera* analogia carere docet. Inducuntur homines, qui primo voluntariam analogiam agnoscant, deinde proprie analogiam eam vocari posse negent, quibuscum Varro videtur consentire. Nisi forte intellegendum: „Qui autem (contra eos qui) duo genera" e. q. s. vel tale quid. Ceteroquin totus prioris l. IX partis tenor idem significare videtur. Sicuti adversarii (VIII 27 sqq.) orationem tractaverant quasi artis opus nil nisi utilitati vel summum elegantiae quoque serviens, ita Varro, quamquam similitudinibus istis non refutatis, suam ipse sententiam hac praecipue ratione confirmat, ut ad naturam analogias multis verbis revocet.

At contra IX 9, 78, 79 (luculentissima quaeque eligimus) haud minus aperte et in arte analogias esse declarant; neque dubitat Varro, quod altera pars fecerat, ita ipse quoque sermonem cum tricliniis, vestimentis, signis comparare. Hac in re de omni inconstantia eum purgare difficile sit factu.

[3]) Post Charis. K. I 50 sq.; B. 62 sq. et Diom. I 493 modos eos repetivit Clemens, cuius artem grammaticam primus edidit I. Tolkiehn, cap. XXXVIIII p. 23.

c. accedit ea pars, quam nulla ratione ducta *consuetudo* attulit; *d.* et quam *auctoritas,* postrema in loquendi regula, tantum opinione secundum veterum lectionem *recepta.* [1])

Forsitan istud grammatici de nucleo immutabili inventum minus probes, attamen hoc nec quicquam aliud eum voluisse evidentius mihi videtur, quam ut dubitationem possit habere.

Quae quidem interpretatio eo sermonis contextu, quem praebet CHARISIUS confirmari videtur: „Latinus vero sermo cum ipso homine civitatis suae *natus* . . ." Itaque qui sacrosanctae illi sermonis parti iniuriam faciat, similis sit laedenti suam ipse naturam.

Iam videamus quid velit v. cl. USENER.

„Für die Rechtschreibung wird eine vierfache Richtschnur aufgestellt bei CRAMER, A.O. IV p. 331, 31 (LENTZ *Herod.* I p. C. IV) *Πόσοι κανόνες ὀρθογραφίας; τέτταρες· ἀναλογία, διάλεκτος, ἐτυμολογία καὶ ἱστορία* . . . Nicht für die Rechtschreibung sind diese Normen ursprünglich aufgestellt worden; sie waren gedacht als die allgemeinen Hilfsmittel, durch welche die Sprachrichtigkeit überhaupt, der *ἑλληνισμός* oder die *latinitas* ermittelt wird, und sind auf das besondere Gebiet, von dem wir ausgingen, nur übertragen. Das ergibt sich aus älteren lateinischen Vermittlern. DIOMEDES 439, 15 „Latinitas est incorrupte loquendi observatio secundum Romanam linguam. Constat autem, ut adserit VARRO (fr. 41 p. 170 f.), his quattuor: natura analogia consuetudine auctoritate". Hier ist, obwohl unsere Ausschreiber das nicht gemerkt haben, *natura* ein gewählterer Ausdruck für das griechische *etymologia*". [2])

Attamen in fragmento, de quo agimus, si id totum spectamus, sermonis *partes* [3]), quae simul regularum vicem obtinent, commemorantur, illic, apud Cr. A. O. *κανόνες* sive merae *regulae.* Fac de etymologia dixisse auctorem, quid tandem sibi velit illud „natura . . . inmutabilis est nec quicquam aut minus aut plus tradidit nobis quam quod accepit"; quid exemplum q.e. scribo, siquidem „primigenia dicuntur

---

[1]) Perperam WILMANNS (*De M. T. Varronis ll. gramm. p. 80*): „haec igitur tamquam quattuor fundamenta et principia bonae latinitatis posuit, ut quid eorum uni repugnaret reiciendum esset." Nonne ergo consuetudo et auctoritas rationem pervertunt?

[2]) *Sitzungsber. d. Philos.-Philol. und Hist. Kl. d. K. Bayr. Ak. d. Wiss.* 1892 Heft IV p. 622 sqq.

[3]) Ne quem moveat *„partes"* a nobis dici quas grammatica „modos" appellet (MAX. VICTOR. VI 189). Grammatica quoque tribus „modis" discernitur (MAR. VICTOR. VI 4), de quibus sic FROEHDE (*Die Anfangsgründe der röm. Gramm.* 26): „Von der drei modi sind die zwei partes, exegetice und horistice, nicht eben verschieden." Cf. PROBUS *Inst. Art.* IV 47: „. . . omnis dumtaxat Latinitas ex duabus partibus constat, hoc est ex analogia et anomalia" e. q. s. Recte igitur FROEHDE p. 140: „Nach VARROS Lehre besteht latinitas aus vier *Teilen* oder modi."

verba ut lego, *scribo*, sto, sedeo et cetera, quae non sunt ab aliquo verbo, sed suas habent radices"? (*L. L.* VI 37).

Itaque tota hac re errasse puto USENERUM, quod κανόνας orthographiae vel regulas „quibus scribendi ratio corrigitur" (G. L. VII p. 12. 5) prius τῷ ἑλληνισμῷ ac Latinitati destinatas fuisse [1]), postea ad orthographiam translatos esse ex his CHARISII DIOMEDISQUE locis et e QUINTIL. I 6. 1 probari posse censet [2]). Suas habeat orthographia regulas atque praecepta necesse est.

Quae USENERI suspicio si labat, simul iacent ea, quae haud nullius momenti inde collegit v. cl. REITZENSTEIN [3]), primum valuisse etymologiam apud Stoicos, deinde VARRONIS aetate apud Alexandrinos floruisse, quasi ὀρθοεπείας et ἑλληνισμοῦ fundamentum, denique in fragmentum, de quo egimus, Alexandrinorum et Stoicorum doctrinam confluxisse et coaluisse. —

Naturae vocem h. l. aliud quid significare quam in ll. de L. L. in promptu est, quamquam non tanta fuerit incongruentia, quantam primo obtutu credas. Nempe et hic et illic de eo agitur, quod, humanae libidini non obnoxium, velut lex hominibus imponatur. Quomodo declinationis regulis est parendum, sic inviolabilis est „natura verborum".

Iam hanc attendas differentiam, quod in libris, quos memoravimus, impositio non solum penes antiquos illos homines fuisse creditur (VIII 7), verum etiam nunc in potestate esse nostra (X 53). Contra

---

[1]) Nunquam in Latinitate tantundem valere potest etymologia quantum in regulis scribendi, cum etiamsi significationes sint mutatae, scribendi ratio integra manere possit. Neque multum ei tribuit QUINTILIANUS (I. 6. 28 sqq.).

[2]) De QUINTILIANI loco, quem ut recte sit interpretatus USENER (SCHADYIO discipulo praeëunte, *De Mari Victorini Libri I Cap. IV*, Bonnae 1869, p. 29) valde vereor, haec breviter adnotabimus:

a. QUINTILIANI *vetustas* nullo modo similis est VARRONIS naturae, quod statim apparet e § 39: „Verba a vetustate repetita non solum magnos adsertores habent, sed etiam adferunt orationi maiestatem aliquam non sine delectatione";

b. nec magis VARRONIS consuetudini *consuetudo* QUINTILIANI respondet; quippe quae ab ipso „consensus eruditorum" dicta et VARRONIS naturam complectatur;

c. iniuria USENER: „nun läuft ihm die vetustas (§ 39 f.) unvermeidlich mit der *auctoritas* zusammen"; etenim § 39: „verba a vetustate repetita ... *auctoritatem* ... habent" auctoritas idem fere valet quod *dignitas;* § 42 autem auctoritas eius spectat ad ea „quae summi *auctores* tradiderunt". Cf. quae infra de auctoritatis vi disputata sunt p. 108 sqq.

d. vix rectius reprehendit USENER FABIUM: „Da QUINTILIAN aus anderen Büchern dieselbe Liste mit *etymologia* kannte, so ist er unvermerkt in eine Klemme geraten, aus welcher er sich nur dürftig herauszuhelfen wuszte. Bei der Definition schiebt er die Etymologie der Analogie unter (I. 6. 1) e. q. s." Etenim neque analogiae, verum *rationi* Q. etymologiam subicit et re vera eae notiones sunt cognatae. Vide infra p. 84.

[3]) *Gesch. d. Griech. Etym.* p. 184 sq.

in fr. 115 consuetudo et natura nullo societatis vinculo coniunguntur neque discimus utrum omnis orationis quasi materia „natura" contineatur an novam apportare possit consuetudo, quam ratio ordine formandam curet. Illud si voluit VARRO — rectene eius consulium interpretati sunt posteriores? — hac utique in re haud mediocriter sibi oblocutus est, sive potius sententiam mutasse est putandus [1]). In alia ratione ad hoc fragmentum redituri sumus (Cap. II p. 67 sq.).

4. *Discrepantiae quaedam, quae videntur.*

a. Quomodo tandem de declinatione naturali primo dici potest: „ad reliquum genus, quod posterius, *ars:* ad quam opus est paucis praeceptis quae sunt brevia" (VIII 6), de qua eadem postea: „naturam (sc. dico) declinationem vocabulorum, quo decurritur *sine doctrina*" (X 51)?

Haec fere respondenda puto: declinationem naturalem cum semel paucis didiceris praeceptis, quodvis verbum novum regulis certis nullo docente declinare poteris. Contra poëtarum oratorumque impositiones verborum nisi *singulas* audieris sive legeris, quomodo tenebis?

b. In turpem inconstantiam delapsum VARRONEM dixeris X 51, ubi scriptum legitur: „Analogia *fundamenta* habet aut a *voluntate* hominum aut a natura verborum aut re utraque."

Scilicet liber IX id summo opere agebat, ut analogiae fundamentum esse *naturam,* cum usu coniunctum, nobis persuaderet. Attamen illo loco „fundamentum" non est fons, sive origo, sive exemplum, sed mera *ἀφορμή* quaedam, initium, unde profectus, si analogiae filo deduceris, ad rectas declinationes certo gradu pervenies. Quippe qui „dolus" et „malus" similia esse cognoverit, is similitudine ea fretus, non dubitabit ex ablativo q. e. „dolo" alterius vocabuli eundem casum ducere. Quamquam fatendum id fieri nequire, nisi ipsa positio aliquid saltem regulae habeat, qua de re plura dicturi sumus infra p. 28 sq. Illud tamen caveamus, ne forte ad hunc locum revocemus, quae Varro de *voluntariae* declinationis hic illic reperta similitudine adnotat VIII 23: „Cum utrumque nonnunquam accidat, et ut in *voluntaria* declinatione animadvertatur natura et in naturali voluntas e. q. s." Namque hoc loco de impositionis ea parte agit, quae *derivatione* constat, quam perplexam et vehementer perturbatam tamen non omni constantia privat.

c. Vituperare possit nimia subtilitas, quod modo *naturalis declinatio* a communi consensu oriri (VIII 22), modo multorum consensu

[1]) Neque melius quae de barbaris linguis hic proferuntur congruere videntur cum *L. L.* VIII 3. Cf. praeterea infra p. 68.

convaluisse dicitur *consuetudo* (fr. 115). Verumtamen illic est consensus ille referendus ad *μέθοδον* ac *regulam* declinandi, hic consuetudinis est *fons* et *origo*; illic de *multis*, hic de *singulis* verbis agitur, non ulli regulae obnoxiis.

d. Porro quod natam esse „ex quadam *consuetudine*" analogiam docet IX 2, et variare eius definitionem prout aut ad naturam verborum referatur aut ad *usum* loquendi (X 74 en IX 4), ea vix consentire videntur cum libri IX sollemni disputatione de *natura atque usu* analogiae fundamento. Illic tamen consuetudinem latiore sensu dictam puta quam in fr. 115 (cf. infra p. 32 sq.); hic „usum *loquendi*" diligenter distinguas ab usu *rerum*, de quo l. IX egerat (§ 58 al.; § 62 autem natura rerum cum usu vocabuli coniungitur.)

Quare KOWALSKI [1]) naturae et usuis copulam (IX) eandem ponat atque „cur" illud, quod legitur VIII 2, non dispicio, quia hoc ad utilem necessariamque declinationis causam spectat, illud ad analogiae sive severissimas sive mitiores leges.

§ 2. DE ANALOGIAE FORMA.

1. *„Ipse eius rei formam exponam" (X 1).*

Sunt viri docti quidam, in quibus REITZENSTEIN imprimis sit nominandus, qui quasi *ἀξίωμα* sumant nihil fere, quod quidem sit sanum, VARRONEM ipsum excogitasse, nullo acumine mentis quicquam perspexisse, nil nisi alios — quam male intellectos! — exscripsisse. Quamquam de „fontibus" VARRONIS idem illi viri sagacitate incredibili ac copiosissima doctrina disputare solent, nihilominus magis eorum subtilitatem et ingenium acutum admiror quam ingeniose prolatis credo. Etenim plerumque talia ut refutari ita demonstrari nequeunt. Attamen quantacumque VARRONIS iudicii contemptione es imbutus, ita verbis ipsius huic capitulo superscriptis credere, ut e *Romanis* tantum nulli obnoxius sit [2]), num illud liceat inclinat animus, ut vehementer dubitem.

Et hic Graecorum libros in usum suum convertit. „Quis enim neget hoc?" At illud adseverat VARRO a nullo unquam haec suo iudicio „ut debuit" atque „ut res postulat" esse tractata; *hoc ei est credendum.* Praeterea totus hic liber quoad exstat mihi quidem VARRONIS inge-

[1]) *Eos* XXXI 1928, 141.

[2]) REITZENSTEINIO (*Varro* p. 64, cf. MULLER o. l. 147 a) ipse assentitur GOETZ (*Zur Würdigung der grammatischen Arbeiten Varros*, Abh. Phil.-Hist. Klasse d. K. Sächs. Ges. der Wiss.; p. 83 § 9), quamquam postea, ubi ex prioribus libris VARRONEM hausisse exponit, haec addit: „Es liegt also in keiner Weise ein Grund vor, der behaupteten Selbständigkeit den Glauben zu versagen."

nium redolet, effusum, subobscurum, divisionibus scholasticis laetum.

In hac § conscribenda potissimum ex libro X haurimus, quippe ubi copiosissime et subtilissime hac de parte disputaverit.

2. *Analogia. Pro portione.*

Sic ARISTOTELES analogiam definiverat ut esset *ἰσότης λόγων* [1]) i. e. rationum parilitas (Belgice: *evenredigheid*). Quocum congruit verbosior VARRONIS definitio: „ex eodem genere quae res inter se aliqua parte dissimiles rationem habent aliquam, si ad eas duas alterae duae res collatae sunt, quae *rationem* habent *eandem*, quod ea verba bina habent eundem *λόγον* dicitur utrumque separatim *ἀνάλογον*, simul collata quattuor *ἀναλογ⟨ί⟩α*." (X 37).

Fuse et accurate ostenditur quattuor, si veram rei rationem exigas, rebus analogiam istam constare, licet nonnumquam pauciores (i.e. tres) vel plures subesse videantur: est natura quadruplex (X 45, 46, 49).

Verum enimvero eodem iure *duplicem* eam dicas, siquidem *duarum rationum* parilitate constat et rationes (i.e. Belgice: betrekkingen, relaties) inter duas minimum res intercedunt. Quod apertissime nos poëtae docent, quorum similitudines a VARRONE cum grammaticorum analogiis meritissimo comparantur, X 42. [2]) En similitudo integra, elaborata: *ὡς δὲ λέων ἐν βουσὶ θορὼν ἐξ αὐχένα ἄξῃ πόρτιος... ὣς τοὺς ἀμφοτέρους ἐξ ἵππων... βῆσε*" (HOM. *Il.* E 161 sqq.). Iam e quattuor similitudinis membris duo possunt eadem esse forma: *ὥστε λέων ἐχάρη .... ὡς ἐχάρη Μενέλαος* (*Il.* T 23), ita ut nihil intersit utrum ambo diserte scribas an in unum confundas, puta ut *Γ* 300: *ὣδέ σφ' ἐγκέφαλος χαμάδις ῥέοι, ὡς ὅδε οἶνος*. Denique quam brevissime contrahit Hector similitudinem increpans Tydidam *„ἔρρε, κακὴ γλήνη"*. Itaque iure aiunt methaphoram nil nisi comparationem esse coartatam. [3])

Ubicumque ergo auctor analogiam in duas partes quasi divisam videt *similitudinem* eam nuncupare licet, quae vox saepissime occurrit (VIII 23). Non est ea minus vera analogia, sed (dum de *declinationis* similitudine agatur) facillime in quattuor membra et formam perfectam

---

[1]) *Eth. Nic.* V 6. Cf. LERSCH *Sprachphilos. der Alten* I 6.

De v. q. e. *ἀνά* cf. KÜHNER-GERTH, *Ausf. Gr. d. Griech. Spr.* I[3] 474: „*kausal* und *bildlich* zur Angabe der *Art* und *Weise*, indem die Handlung gleichsam an einen Gegenstand hinanstrebend gedacht wird." Ibidem *ἀνὰ λόγον* interpretatur, quasi sit: *ἀνὰ τὸν αὐτὸν λόγον*. Iure, ut opinor.

[2]) Cf. JO. SICEL. (WALZ *Rhett. vol.* 6 p. 485): *ἀναλογία δέ ἐστιν ἁπλῶς ἡ τοῦ ὁμοίου παράθεσις, ὡς ὁ ποιμὴν καὶ τὰ πρόβατα, ὁ βασιλεὺς πρὸς τὸν λαόν.*"

[3]) Cf. J. VENDRYES, *Le Langage* p. 209: „La métaphore est une comparaison en raccourci." H. PAUL (*Prinz. der Sprachgesch.*[5] 94 sqq.) identidem, ubi de metaphora agit, *analogiae* vocem usurpat.

potest evolvi (cf. X 12) [1]). Ad similitudinem infra redituri sumus.

Illam alteram perfectam plenamque analogiam rationem „pro portione" dicit VARRO (X 37). Quae verba ita mihi explicanda videntur. Fac inter parvulos puberesque cibos esse partiendos: tum demum omnibus re vera idem dederis, si non easdem distribueris portiones, verum quod cuique opus sit, *pro portione* ad cuiusque aetatem accommodata.

Quod proprie illud „pro portione" significat et premit, est diversitas et dissimilitudo rerum, inter quas una atque eadem ratio intercedit [2]).

Cum analogiae, quae est in oratione, fundamenta in rerum natura inveniri constet, non miramur, si ibi quoque eandem rationem pro portione VARRO ostendit: „ut in progenie cum est filius ad patrem, sic si est filia ad matrem, et ut est in te(m)poribus meridies ad diem, sic media nox ad noctem" (X 41) [3]). Alibi diserte illud „pro portione" nominat, veluti IX 27: „cuius modi tritico iacto reddidit segetes, sic ordeo sato *proportione* reddidit pariles". [4])

Atque quod orationis analogia, si vere spectas, est analogia naturae sermone repercussa, id belle probat IX 62: „quocumque progressa

---

[1]) Quid ergo sibi velit illud STEINTHALII „Nirgends finde ich den Beweis dass er (sc. ARISTARCH) sie (sc. die Analogie) schon in voller Form der viergliedrigen Proportion kenne, in welcher aus drei bekannten Gliedern das vierte erschlossen wird" (*Gesch. der Sprachw.* p. 467), vix dispicio. Quattuor membra exscribas necne nihil refert, quoniam revera in analogia ne minimum quidem mutatur. Certe non licet inde colligere non esse ARISTARCHI quae de v. q. e. *ἀλχί* a TRYPHONE ei attribuuntur (o. l. p. 468).

[2]) Idem valet *„pro rata parte"* (apud PLIN. „pro rata portione"), cuius lucidum exemplum, et ipsum ad analogiam et quidem musicam referendum, legitur CIC. *Somn. Scip.* § 10 „Hic est" inquit „ille (sc. sonus), qui intervallis disiunctus imparibus, sed tamen *pro rata parte ratione* distinctis ... varios aequabiliter concentus efficit". Notandum musicos naturae harmoniam canendo imitari simili modo atque imitetur naturam orationis analogia (cf. *Somn. Scip.* § 10, QUINTIL. I 10. 12).

[3]) Non invenuste VARRO VIII 25: „(similitudo) quae est ut in aetate puer ad senem, (puella) ad anum, in verbis ut est scribo scribam, [dico] dicam e.q.s." De industria nisi fallor haec ita coniunxit, quia quae ratio inter puerum et senem eadem vel similis certe intercedit inter vv. q. s. scribo et scribam, quandoquidem *futura* pueri condicio est senis. Porro concinnitatis causa fortasse praestet cum codicibus legere: „dico dicam. Prius e. q. s.", ut omnia quam accuratissime inter se respondeant.

[4]) Aliquantum ab hac ratione pr. p. distat ea quae X 65 (cf. X 63) in *rebus* esse dicitur non in vocibus, ut „Iupiter Marspiter, Iovi Marti" (cf. X 52 „analogias rerum"). Hic proprie agitur de *notionibus* vel de „die innere Sprachform", quam Germani vocant, vel, ut VARRONIS verbis utamur de discriminibus declinationis quae sunt non „propter ipsius rei naturam" sed „propter illius usum qui dicit" (VIII 14, 16).

est natura cum usu vocabuli, similiter *proportione* propagata est analogia".

Denique ut in natura sic ea ratio proportione deprenditur in rebus *arte* factis (IX 48). Hinc iam apparet — quod nemo mirabitur — rationem pro portione dici posse etiam quae analogia, non in quattuor membra digesta, *similitudo* haud raro nuncupetur.

Nec non rerum disparilitas, quam vv. q. s. „pro portione" supra proprie indicare statueramus, ita non semper urgetur, ut etiam perfectiorem significare possint similitudinem quam ipsa rationis vox.

Quamquam enim concedit VARRO vv. q. s. amor-amoris eandem habere rationem quam amores-amorum, nihilo secius analogiam ibi agnoscere gravatur, quoniam non sit „pro portione, ut eandem habeat rationem" verbum singulare cum multitudinis verbo copulatum (X 36). Ergo nihil valet pro portione nisi Graecorum *ἀνὰ λόγον* (X 2). Est analogia severissimis legibus obnoxia, est liberior quaedam et quasi remissior, id quod ex incerta lataque v. q. e. similitudinis significatione facile est intellectu (cf. X 3 sqq.).

Alexandrinos grammaticos secutus [1]), si nominatus nominatui erit similis, exigit VARRO „ut sit eodem genere, specie eadem, sic casu, exitu eius" (X 21).

In promptu est eas condiciones id agere, ut, anomalia aliqua obiecta, analogiae defensor propugnaculum habeat, quo se recipere possit. Ceteroquin ne VARRONEM quidem negasse puto rationem pro portione exstare inter manus-manum et fructus-fructum, quamvis genere sint diversa.

Econtra articuli *adumbratam* dicuntur et *tenuem* habere analogiam, rerum magis quam vocum (X 19 (18), 30).

Eodem modo generali magis sensu accipitur analogia, ubi Graecae et Latinae grammaticae similitudines nonnullae enumerantur (IX 31, 32).

3. *Ratio.*

Est ubi apud VARRONEM v. q. e. ratio idem valeat atque analogiae nomen (X 1). Quippe Graecorum *λόγον* ea reddit atque ut *λόγος* ille, sic ratio est:

---

[1]) Nihil est cur cum STEINTHALIO (p. 514) ARISTOPHANI eiusdem generis sententiam, quam tradit CHARISIUS K. 117 (Barw. 149), abiudicemus, quasi scilicet, iam tum tam certa definitione prolata, totum hoc certamen oriri non potuisset. Obliviscitur autem STEINTHAL de *philosophicis* imprimis quaestionibus agi, de fundamento nec non de usu ac iure analogiae; praeterea num tota res est absoluta, ubi condiciones quaedam positae sunt, quae et reprehendi possunt et suspicionem habent, quasi analogiae provinciam satis angustis finibus circumscribant?

a. mens gubernatrix, summa lex: „ut rationi optemperare debet gubernator, gubernatori unusquisque in navi, sic populus rationi, nos singuli populo" (IX 6).

b. Ratio ea summa parit cum in rerum natura tum in sermone *rationes*, ut ita dicam, *concretas* (X 36), quae duarum rerum vel verborum sunt quasi vinculum (logoe (X 37) vel „betrekkingen").

c. E binis rationibus similibus oritur *ἰσότης τῶν λόγων*, quae analogia dicitur vel breviter ratio concreto, ut aiunt, sensu (X 1) [1]).

d. Ut v. q. e. analogia (X 36), ita ratio et ipsa nonnunquam accipitur sensu abstracto quasi norma atque amussis (IX 8 sqq., 79), species rationis summae.

Non alienum ab hoc loco sit in transitu commemorare eandem vel certe cognatam *rationem* nobis occurrere et in etymologia (cf. AUGUSTINI frg. G. et SCH. p. 240 $_{20}$; VI 39 et tota priorum librorum indoles) et in syntaxi (VIII 1). Quae ratio, eodem loco atque analogia, species esse videtur illius rationis, quae cum naturam rerum tum homines luce sua lustrat et complet. Id quoque probet tantum abesse, ut VARRO undecumque male intellecta congesta coacervaverit et prave commiscuerit, ut potius — quicquid in singulis rebus peccavit — aedificium ipsius philosophiae grammaticae exstruxerit certum genus structurae praebens atque id quidem forte et magnificum.

4. *Similitudo et dissimilitudo.*

Quas binas significationes „abstractam" „concretam"que in analogia et in ratione reppereramus, eaedem obviae sunt in similitudinis notione.

a. Sensu generali et ea est norma loquendi e mente VARRONIS = *ἀναλογία* (VIII 23, 24).

b. Sensu concreto singulas analogias indicat (IX 26), unde sequitur, ut et in plurali numero commemoretur.

Quid, quod eandem VARRO originem putat analogiae (X 1)? Nonne prorsus unum atque idem notiones eae significant?

Ita hoc mihi videtur intellegendum: similitudinis nomen et latius patet et indoctis utique magis est notum. Quare ibi analogias esse statuemus, ubi similitudines offenderimus. Unum huc addendum vi-

[1]) Ea significatio transire potest in illam alteram, quae est „modus". Vide VIII 6, IX 15.

Quod de *ratione analogiae* loquitur VARRO (IX 33), id ostendit magis generalem esse rationis significationem; quae tam late pateat, ut dici possit „*[o]rationem* verborum praetermittendam ostendit loquendi *ratio*" (IX 35). Quam quidem sententiam quin serio dixerit VARRO atque ita senserit non debuit dubitare STEINTHAL (p. 510).

detur, quod ad perpendendam et aestimandam VARRONIS doctrinam nonnullius momenti fuerit.

Quid sit *dissimilitudo* ex opposita notione conicere haud magni videtur laboris. Duae autem res diversissimae ea notione continentur:

a. discrepantia generum rationalis, quam peperit natura, quodque fundamentum est innumerabilium analogiarum. Namque dissimiles bos, ovis, homo (IX 113) in suo quisque genere similitudinibus abundant; quae discrepantia nisi esset, omnia nulla varietate distincta analogiis suis insignibus multiplicibusque carerent. Cunctis rebus paribus similibusque ubi foret *ἀρμονία?*

b. discrepantia intra genera ipsa, quae e damno naturae proficiscitur: „si quis viderit mutilum bovem aut luscum hominem claudicantemque equum, neget in [cornibus] bovom hominum et equorum natura similitudines proportione constare" (IX 33).

Ergo dissimilitudinis notione indicatur cum id quo nititur analogia quasi fundamento tum id quod analogiae est oppositum quam maxime. Quae quidem confusio quantam ambiguitatem et errorem non afferre non possit et quantopere VARRONIS doctrinam labefactet neminem fugiet. Neque usquam apertius apparet error iste quam in fine l. IX, ubi cum delectatione quadam gloriatur VARRO: etiamsi adversarii „id confecissent quod volunt, ut in lingua latina esset anomalia, tamen nihil [l]egissent ideo, quod in omnibus partibus mundi utraque natura inest . . ." (§ 113). Exempla sequuntur non mutilus bos luscusve homo sed equus, bos, ovis, homo, qui *generibus* diversis comparandi sunt cum *generibus* declinationum, analogiarum fundamentis. Et haec habet idem qui ante (§ 33) exclamasset [1]: „qui autem vident (sc. rationem analogiae) et sequi negant oportere, pugnant contra naturam e.q.s." [2] Cf. infra p. 119.

E priore dissimilitudinis significatione facile intellegitur quae ratio intercedat inter analogiam et *discrimina* identidem memorata *verborum.* Quid enim est illa nisi ordo et constantia discriminum, quorum eaedem sint rationes? Quod tam bene perspectum habet VARRO, ut de analogia rerum disputaturus (X 64) discrimina tractare incipiat.

Orationis discrimina sequuntur atque imitantur discrimina naturae rerum [3]). Distinguendi et discriminandi necessitas ut in nominibus

---

[1]) Pravissime cum anomalia analogiaque hominis corpus et animam comparat (IX 3).

[2]) Simili fere ratione serus quidam grammaticus (VIII CXIX) de *differentiis* agit sub nomine „de *dissonantia* sermonum", rem bonam turpi nomine significans.

[3]) Cf. fr. 123 „et haec sunt pronomina (omnia): in rerum natura plus non inveni(e)s."

casus efficit (VIII 16), ita in verbis temporalibus innumeras species (VI 36).

Sequi ergo VARRO videtur sententiam HERACLITI docentis „*ἐκ τῶν διαφερόντων καλλίστην ἁρμονίαν . . . γίνεσθαι*[1]) et Stoicorum aliorumque qui censeant *ἐν γάρ τοι τῇ γνώσει τῶν διαφορῶν ἑκάστου τῶν ὄντων αἱ τέχναι συνίστανται*".[2])

5. *Analogia Artis.*

Supra (§ 1, 4) observatum erat non minus in arte analogias nonnumquam a VARRONE inveniri quam in natura rerum.

Quae sit illa artificiosa analogia optime videbimus in imaginibus et signis (IX 79), utpote quae eodem modo atque verba analogias ipsarum rerum naturalium imitentur et reddant[3]). Itaque et in rebus ipsis similitudines inveniuntur, et in ipsis signis, et similitudinum ista genera inter se respondent ita, ut analogia existat quam perfectissima.

Neque tamen carent omni analogia artes eae, quae non in imitatione versantur, quarum similitudines detegere licet rebus arte factis *inter se* collatis: „non, si quis tunicam in usu ita consuit, ut altera plagula sit angustis clavis, altera latis, utraque pars in suo genere caret *analogia*" (IX 79).

Vel „mulierum stola . . . stola(e) *proportione* et pallium pallio *simile* e. q. s." (IX 48).

Cum autem quae res partium analogias exhibeant, si totas spectas, congruentiam partium in unaquaque re habere consueverint (exempli gratia partes animae afferam, quae apte inter se cohaereant ac vinculo artissimo constringantur), eo fit ut cum analogia *harmoniae* notio sit implicata[4]). Quod ibi dilucet, ubi in variis discriminum (vide supra) generibus distinguendis disertis verbis res „(h)armonicae" commemorantur (X 64).

Quae harmonia pulcherrima videtur in arte musica atque nervis

---

[1]) RITTER et PRELLER *Hist. Phil. Gr.* 34. De harmonia et concentu artis musicae ex certis intervallis orto vide supra p. 17 2 et MACROBII *Comment. in Somn. Scip.* 1. II § 1 sqq.

[2]) AB ARNIM *St. V. Fr.* II 76.

[3]) Quo modo antiqui ipsa aedificia humani corporis analogias imitantia fecerint lege apud K. BORINSKI *Die Antike in Poetik und Kunsttheorie* I (1914) p. 59.

[4]) De Lysippo, quem PLINIUS quadratas veterum staturas permutasse dicit (*N. H.* 34, 65), observat BORINSKI o. l. 150: „Dies Prinzip war nun nicht mehr blosz *emmetrisch* (nach der kanonischen Festlegung der Einzelglieder) sondern *symmetrisch* analog ihrer unter sich und mit ihrer Umgebung zusammenstimmenden d. i. harmonischen Wirkung."

Ut isdem utar verbis: analogiae proprium est *τὸ ἔμμετρον*; sequitur *τὸ σύμμετρον*.

(X 46), quibus imitentur homines docti concentus mundi. Annon prorsus exacte analogiam ipsam cum harmonia adaequaverit STEINTHAL [1]) haud scio. Cuiuscumque rei sive numeri sive mensurae sive omnino partes pulchris inter se constant rationibus, ea per analogiam harmoniam peperit; quae ut est quod ad nos posterior, ita *προτέρα τῇ φύσει* [2]).

§ 3. De Analogiae Usu.

Non imitatur M. TERENTIUS eos, qui vitae usu spreto verba inaudita sine modo fingere et in orationem introducere non vereantur. [3])

Analogiam ex animi sententia defendit, ita vero, ut

a. depravatam — a recta accurate distinguendam! cf. p. 32 sq. — consuetudinem nec temere nec subito tollat,

b. aliis alia imponat officia.

Quod ad priorem condicionem attinet, sufficiat legentem ad IX 16, 17, 35 relegare, paucis additis:

Non quicquam habet consuetudo *iuris*. Cum rationi quasi reginae obtemperari debeat (IX 6), *depravata consuetudo velut tyrannidem exercet*, quam quo quis citius sustulerit, eo melius de patrio sermone erit meritus. Nonnisi *inviti, vi* coacti, dum *necesse* erit eam sequemur (IX 18). Cf. infra p. 104.

Plura de altera verba sunt facienda propter notabilissima quaedam, quae VARRO de suo protulisse, a Graecis certe non ita accepisse mihi quidem videtur. Discernamus scilicet oportet *populum universum* et singulos, sive *oratores* sive *poëtas*. [4])

Populo nulli omnino legi nisi rationis obnoxio — en Romanorum populi maiestatis politica doctrina in rem publicam litterarum translata! — utenda est analogia omnibus numeris absoluta (IX 5, 6, 114; X 74).

Populo *universo* (quem nemo unquam vidit, a quo petitur id quod fieri nullo modo possit), bene distinguendo ab „*omni* populo" (cf.

---

[1]) *Gesch. d. Sprachw.* 514.

[2]) Cf. supra p. 21.

[3]) Cf. Graecorum audaciam et licentiam (apud STEINTH. 483).

[4]) Ne quis de quattuor cogitaverit: populo, *singulorum sermone*, oratoribus, poëtis, quae divisio et IX 5 i. f. et tribus definitionibus analogiae (X 74 sqq) redarguitur. Minus diligenter hic locus poëtas e „singulorum" numero eximit, cum IX 5 et oratores et vates eo nomine coniungat. Neque quartum genus desideratur eorum, qui neque oratores neque poëtae tamen analogiam observare debeant: de *eloquentia* magis quam de cotidiano loquendi usu agitur.

VIII 6), quem loquentem cotidie audimus, opponuntur singuli, qui eloquentiae operam dant, sic tamen ut vatibus plus concedatur quam oratoribus (ll. ll.).

Quas VARRO sententias tribus definitionibus ita illustrat, immo obscurat, ut ipsi „haec diligentius quam apertius dicta esse" confitenti non obloquamur (X 74 sqq.).

Primam definitionem paucis licet absolvere: „analogia est verborum similium declinatio similis"; ita simpliciter populo praescribitur, ut semper et ubique perfectam et absolutissimam sequatur analogiam, quam tamen ipsa ratio et natura, ut opinor, certis finibus circumscribit (cf. IX 63).

Illud oratoribus sive omnibus singulis mandatur, ut tantisper rationi obtemperent, dum parcant consuetudini communi, quae sententia qua re illustretur *poëtico* exemplo (ex HORTENSII poëmatis sumpto, cf. VIII 14) est, quod mireris.

Hucusque omnia satis liquent. Quamquam quomodo universus populus officium suum durum praestet, si singuli consuetudini cedunt? [1])

Non illud re vera VARRO voluit; tantummodo legem tam severam constituere coactus est artis atque doctrinae vinculis.

Iam ad tertiam definitionem pergamus. „Ad quam harum duarum (sc. definitionum) ad extremum additum erit hoc „ex quadam parte", poëtica analogia erit definita. [2])

Ad ea satis intricata verba enodanda non sine dubitatione quadam aggredior. Primo obtutu poëtica haec analogia angustioribus describi terminis videtur quam oratorum, id quod ineptum esse res ipsa clamat „cum poeta[e] transilire lineas impune possit" (IX 5). Immo poëtarum usus versatur inter libertatem infinitam rationis atque consuetudinis angustias. Utriusque aliquam habet partem, parte quadam caret. Ne poëtae quidem licet verbum quale „sum" secundum regulas declinare aut eius passivam fingere formam: illud vetat consuetudo, hoc natura. Probasse tamen vel concessisse certe puto VARRONEM verbum quale „vivor" (§ 78: „Ubi additur „ex quadam parte," significat

[1]) Aliter MULLER (p. 148): „Porro in libro IX distinguuntur populus et e populo singuli homines, id quod sanum praebet sensum. In libro X vero, ut suam poeticam analogiam servet, Varro cogitur secundae classi nimium obtrudere, definiens eam „*omnes* singulos sequi debere." Quomodo autem, si unusquisque nostrum suo Marte ab usu declinat, *populi* analogia ... exstare posset Varro non quaesivit."

Si quid video, id ipsum *vetat* VARRO unumquemque suo Marte ab usu declinare. Alioquin quid sibi vellet illud „non repugnante consuetudine com(m)uni"?

[2]) Quod MULLER adnotat h. l. „Fontem suum male intellexit. Tertia namque forma in fonte nil nisi secundae exemplum erat e.q.s." (o.l. p. 147 sq.) num probari id possit dubito.

non esse in consuetudine in his verbis omnis partis, ut declinatum am[ab]o vivo, amor vivor"), quod commendatur hisce PRISCIANI verbis (II 376): „quis enim dicit „aror", „inseror", „curror", nisi poetica conformatio, id est *προσωποποιΐα* inducatur?"

Denique nullo modo cum hoc *usu,* qui est *verborum,* confundendus est usus ille, qui una cum natura analogiae fundamentum habetur (IX 63), in *rebus* scilicet versans. Quare *„unae bigae"* dicuntur? Num quod equos natura copulavit? Immo ab hominibus coniunguntur „ad unum *usu[m]*" (1. 1.).

§ 4. De Anomalia.

1. *Impositionis anomalia.*

Ex analogiae et similitudinis notionibus intellegitur, quid sit anomalia vel dissimilitudo, quippe „reliqua pars" (X 1).

Hac re suo iudicio uti videtur VARRO, quod neque soli analogiae neque anomaliae legentes deditos esse iubet, verum utrique in suis finibus obtemperare. [1])

Neque enim audiendi sunt, qui ut STEINTHAL [2]) l. IX § 2 *tertiam grammaticorum scholam* significari volunt aeque similitudinem et dissimilitudinem colentem; quod recte vidit COLSON [3]). Cuius sententiam commendari censeo VIII 23, ubi easdem *duas* partes diversas nominat

[1]) Nihil video cur credamus VARRONEM mitiorem doctrinam opposuisse severissimae CAESARIS disciplinae, quod vult KOWALSKI *Eos* XXXI (1928) p. 153 sq. Num hic docuit *in derivationibus* versari analogiam? Nusquam in fragmentis id legitur; at videmus et „Albanos" et „Albenses", quae nomina ex una voce originem trahunt, ab eo commemoratos (fr. 12 FUN.).

An in analogia *declinationis* utenda acerbior fuit? CICERO quidem tradit (*Brut.* 261) consuetudinem vitiosam eum pura *consuetudine* emendasse. VARRONIS decreta certe non sunt leniora. Ceterum id agit KOWALSKI, uti probet adversarium fuisse VARRONEM rigiditatis APOLLODORI (quem secutus sit CAESAR) et asseclam mitioris THEODORI GADARENI doctrinae de analogia. Neque tamen quicquam de APOLLODORI et THEODORI certamine hac in parte notum est. Quae KOWALSKI doctissime profert, ut VARRONI THEODORUM fontem assignet, nimis incerta quaeque nullo modo demonstrari possint mihi videntur. Dubito equidem sitne *„περὶ διαλέκτων ὁμοιότητος καὶ ἀποδείξεως"*, ut inscribitur unum ex Theodori operibus, idem atque „de similitudine *verborum*". Denique nihil satis argumentis confirmatum video de *recentiore analogiae doctrina,* quam THEODORUS VARROQUE tutati sint contra APOLLODORUM et CAESAREM, quaeque constaret *„mera observatione"*. Id VARRONIS verbis certis et expressis quam maxime contrarium est. (Cf. supra p. 22 sq.).

[2]) *Gesch. der Sprachw.* 449. Commenticia ergo sunt, quae de eius partis vitiis disserit.

[3]) *The Analogist and Anomalist Controversy,* Class. Quart. 13 (1919) p. 30.

VARRO, quibus tertiam *suam* tamquam meliorem sententiam opponat, et IX 4 „nam [cum] confusim *ex utraque parte* pleraque dicuntur e. q. s." [1]).

QUAENAM est illa VARRONIS via media, quam maiore iure duarum doctrinarum coniunctionem dixeris? Dissimilitudinem dominantem accipit in *declinatione voluntaria* (VIII 23, X 15) i. e. in derivatione sive in *impositione,* quae quidem ad exstantia iam verba recurrat (X 15).

Hic nobis quaestio se offert quae paulo diligentius tractetur haud indigna. Ut quam paucissimis complectamur: estne VARRO quasi „Hermogenes alter" [2])? Num inaequabilem et arbitrariam id est ratione carentem dicit impositionem idem ille, qui prioribus libris fuse lateque eam exposuerit, qui mentionem intulerit de natura impositionis duce (VI 3), qui etymologiam artem eamque utilem laudaverit (VII 109)?

Si ita res fuerit comparata, hominem tam turpiter quae diversissima sint conglutinantem vix ab insipientiae crimine vindicaveris.

Utrum tandem VARRO defendit *τὸ φύσει* an potius *τὸ θέσει?*

Perperam id rogatur, quasi alterum contrarium esse necesse sit alterius. Nil tamen aptius ad fallendum quam ea nomina, quae diversissimae scholae sibi vindicant. Quantum interest inter Epicureorum *φύσει* et Stoicorum!

Egregie de erroribus eorum, qui unam tantum rem nominibus istis significari putant disputavit DAHLMANN [3]). Iure suo STEINTHAL quoque disserit (332 sq.) de „die vermittelnde (Ansicht), die sich *θέσει* nennt, aber sich auch *φύσει* nennen könnte ... welche mit grösserer oder geringerer Klarheit und Entschiedenheit von allen Grammatikern des Alterthums gehegt wird." Praeclare iam AMMONIUS (St. 334). Similia de Alexandrinorum *θέσει* apud MULLERUM (p. 69). Quem minus sequi possum, ubi Stoicorum *τὸ φύσει* quasi sit „naturae convenienter" non dico vertere sed intellegere gravatur (p. 53). Hisce verbis eorum sententiam iam explanat ORIGENES [4]) *„μιμουμένων τῶν πρώτων φωνῶν τὰ πράγματα"*, quod consilium et rationem quandam videtur indicare.

Illud tamen gravioris momenti fuerit: *qui, ut ita dicam, monismum amplectantur, iis quod natura subministret vel pariat simul secundum naturam sit oportet.* CRATYLUS et HERACLITUS Stoicorum praecursores *φύσεως δημιουργήματα,* naturae artificia, verba censebant [5]). Cf. porro

[1]) Eadem ratione atque IX 2 v. q. e. „partim" occurrit VII 96.

[2]) MULLER, 151. Cf. REITZ. *Varro* p. 26.

[3]) *De Philos. Graec. Sent. ad Loquellae Originem pertinentibus Capita duo* (1928), p. 41 sqq.

[4]) *Contra Cels.* I p. 18.

[5]) Cf. AMMONIUS: LERSCH *Sprachphilos. der Alten* I, 11.

PLAT. *Crat.* 383 A „ . . . *ὀνόματος ὀρθότητα εἶναι ἑκάστῳ τῶν ὄντων φύσει πεφυκυῖαν* e. q. s."

Breviter, ut solet, SENECA Ep. XC in.: „Sed primi mortalium, quique ex his geniti naturam incorrupti sequebantur, *eandem habebant et ducem* (cf. *τὸ φύσει*) *et legem* (cf. *τὸ κατὰ φύσιν*) e. q. s." Cf. eundem *De Benef.* IV 7: „Natura, inquit, haec mihi praestat. Non intellegis te, quum hoc dicis, mutare nomen Deo? Quid enim aliud est natura, quam Deus, et divina *ratio,* toti mundo et partibus eius inserta?"

Itaque minus recte, puto, REITZENSTEIN (25) priorem VARRONIS l. VIII partem doctrinam Stoicam primo amplecti credit, deinde consilio mutato cum Alexandrinorum sententia conflare. *Non enim pugnant ea,* quoniam et Stoici ab hominibus excogitata verba putant (cf. etiam AUGUST. *Princ. Dial.* 6) neque id sine mendis (cf. CHRYSIPPUM) et Alexandrini nequaquam *ratione* sermonem spoliant [1]).

Quid igitur de VARRONE existimemus? Cum etymologiarum studiosissimus rationem verborum sine dubio agnovit, tum impositionis anomaliam haud minus dubie docuit.

Hic velim distinguas verborum partem internam, („materieel") et partem externam („formeel").

Illam regit VARRONIS iudicio plerumque ratio quaedam, hanc libido. Quotiescumque de anomalia verba facit *grammatice,* ut ita dicam, loquitur, non *dialectice,* verborum *formas* spectat, non *sensus* (IX 34, 71; X 16). Neque ergo ineunte l. VIII neque IX libro [2]) Stoicorum doctrinam impugnare voluit. Idoneum exemplum invenias VIII 21, quo anomaliae eius sensum patefacias: tres qui singulos emerunt servos domini alius mancipium suum Artemam appellat, alius Iona, alius Ephesium. Num ex nominibus istis unum ratione caret? Ipse REITZ. (26 sqq.) omnia *ὀρθῷ λόγῳ* imponi posse fatetur, quam ob rem in talibus „in gewissem Sinne" VARRO libidinem agnoverit. Immo magnopere erremus si VARRONIS sententiam cum Hermogenis illius Platonici in uno atque eodem genere ponamus. Merus hic est scepticus, *unius θέσεως* cultor, nullam prorsus verborum normam novit nisi *ξυνθήκη(ν) καὶ ὁμολογία(ν)* (*Crat.* 384 D), quanto opere a VARRONE dissentiens!

Apud VARRONEM vero quod ad internam sui partem attinet *θέσει* sunt nomina eademque *φύσει,* illud si agitur de hominibus a natura ductis, hoc si de ducente homines natura. Tantummodo neglegere videtur natura ista impositionis formam; certe ab ea liberi sunt impositores. Quodsi nihilominus fr. 115 certa et immutabilis sermonis pars, cuius origo et fons (quod ad verborum formas) hominum imperi-

[1]) Exempla apud STEINTH. 446 sqq., adprime 353.
[2]) REITZ. 60.

tia et libido est aestimanda (X 60 sq.), si ergo illa pars naturae nomine indicatur, hoc tantummodo apparet paululum mutatum esse ipsius v. q. e. natura sensum (vide supra § 1, 3).

Una adhuc quaestio tangenda est. *Quid de primis impositionibus?* Hoc habent, quod declinationi naturali quasi fundamentum praebeant grammaticale (VIII 7), quod ipsum permagni momenti *φύσει* esse factum apparet. Quid autem de corpore, de nucleo eorum sit dicendum non certo scio. Veri est simile in tali quaestione perquam abstrusa et veris philosophis digniore non nimium M. TERENTIUM elaborasse [1]). Quodsi quis nos ad AUGUSTINI *Principiorum dialecticae* excerpta revocat in editionem G. SCH. recepta, ei respondeo, quae me iudice verissime MULLER (254) iudicavit: „Quicumque ... Augustinum et Varronem legerit comparaverit, is, ni fallor, duos animos diversos in iis positos credet."

Nescio an hac de re loquatur VARRO obscuro illo loco, quo non ad summum etymologiae gradum se perventurum confirmare audet, ubi sit adytum et *initia* (V 8). REITZENSTEINII coniecturam suo iure, ut opinor, G. et SCH. redarguerunt [2]). Ipsi sic: „In quarto igitur versatur gradu, cui ad grammaticam philosophiae virtus penitus accessit: is demum quasi mysteriis admittitur et spectat."

Graduum autem distinctio certior et magis definita mihi videtur, quam ut quartus ad *interiorem* tantum philosophiae scientiam spectet, cuius alioquin non prorsus erat ignarus VARRO. Sed eos ad mysteria et in adytum penetrasse puto, qui occultissimum illud spissisque circumfusum tenebris perspiciant sc. *quomodo prima verba sint inventa*, quaenam ratio primos impositores duxerit. *Initii* vocabulum huc optime quadrare videtur. ORIG. *c. Cels.* I 18: *„ἐμπίπτει λόγος βαθὺς καὶ ἀπόρρητος* — inquit — *ὁ περὶ φύσεως ὀνομάτων*, inde pergit loqui de Stoicis quomodo *prima* nomina intellexerint. VARRO (fr. 115) antiquissima *naturae* nomine comprehendit nullam fere ausus, ut videtur, primitivorum enodationem. Non NIG. FIGULUS tali investigatione abstinuit (cf. GELL. X 4. 1) quippe „diligens earum rerum, quae a *natura* involuta videntur" (CIC. *Tim.* 1. 1).

Neutiquam sequendum REITZENSTEINIUM puto dicentem (43): „Für (VARRO) ist ja die stoische Etymologie theoretisch schon überwonden." Eius *θέσει* magnam certe partem *τῷ φύσει* est exaequandum, id quod cum Stoicorum rationibus convenit. [3]) Denique nullus etymologiae „gradus" ab eo improbatur, vel parum aestimatur.

---

[1]) Cf. MULLERUM *o. l.* 153 sqq.
[2]) Ed. p. 246; cf. BARWICK *R. P.* 214.
[3]) Aliter MULLER (148 sq.).

2. *Impositionis analogia.*

Ille tamen, licet hominum libidini et imperitiae maledicat (X 60 sq.), minime totam impositionem sub anomaliae dominationem subicit, etiamsi *formas* attendimus et quas admisit exceptiones VARRO (VIII 23, cf. infra p. 29) omittimus. Qua de re cum taceri soleat, paulo fusius agemus.

Nolim afferre V 3: „nec quae ex(s)tat sine mendo omnis imposita", quod effatum quamvis necessarie demonstret plurima verba *sine mendo* esse indita (et quidem de *formis* agi videtur) tamen eam ob causam minus ad hanc quaestionem attinet, quia non versatur circa verborum *exitum* atque formam quam dicimus *grammaticalem*. Sunt tamen alia quaedam idonea ad positionis rationem illustrandam.

a. Evolvamus X 35, ubi legitur: „igitur *ratio* quam dico utrubique, et *in his verbis quae imponuntur* et in his quae declinantur e.q.s." Quoniam lacuna praeit cautos esse in testimonio eo afferendo decet, sed comparanda videntur haec: „(dicet) qui naturam sequetur, si sit simile in obliquis Marco Quinto, fore ut sit Marcus Quintus" (X 51).

Nonne analogia fundamenta habet *et* a voluntate hominum, ut qui impositionem habeat declinationem naturalem saepe invenire possit? (Cf. supra p. 14). Neque potuit VARRO non ita iudicare, siquidem impositio eius declinationis est ἀφορμή neque unquam ab ea disiungenda.

Nempe regulae declinationis ubi essent, si nominativi casus nullo similitudinis vinculo coniungerentur? Impositio et declinatio sunt quasi superficies, ut aiunt mathematici, quae inter se secant. Tam necessaria est impositio quodammodo constans declinationi quam aedificio fundamenta recte composita et dimensa.

Atque id quidem cotidianus usus confirmat: „novis nominibus allati[u]s (in) consuetudinem sine dubitatione eorum declinatus statim omnis dicit populus" (VIII 6) [1]).

b. Porro alia est positionis ratio, quam ostendunt ea, quae de impositionis mendis, nec multis nec acerbe vituperatis, VARRO disputat VIII 7 sq.: „voluis(s)e enim (sc. homines qui primi rebus nomina imposuerint) putant singularis res notare, ut ex his in multitudine(m) declinaretur", e.q.s." Ea ad grammaticam sensusque spectant.

Omnia mihi confundere videtur WILMANNS (27), de VARRONIS libris XI, XII, XIII tali modo disputans: „inpositionem in his libris non neglectam esse uel inde euincitur, quod analogiam quae in etymologia ualet, in libris etymologicis ne uerbo quidem tetigit et quod

[1]) Quod analogiae oppositum est „corruptum" saepe dicitur. DIOM. ubi (I 385) dicit: „sum verbum in primis *corruptum* est, non tantum propter ceterorum declinationem sed et ipsa *positione* e. q. s." sumit videlicet *in positione plerumque analogiam dominari.*

scriptor ipse „de utriusque generis declinationibus" (VIII 24 p. 408) actum iri pollicetur. sed eum hac diuisione in argumentis librorum, ut primum inpositioni, alterum declinationi destinaret, non usum esse, demonstrat arta coniunctio, quam inter uoluntatis et naturae declinationem intercedere fere ubique premit (VIII 5 p. 394; X 51 p. 574 al.) et id docet quod ita libro tertio primi et secundi libri disputationes recoquere coactus fuisset."

1. Analogia quam in etymologia valere putat W., si qua est, ad res et verborum significationes spectat nec ei his libris ullus locus esse potuit. Praeterea in ipsis verborum enodationibus satis erat manifesta.

2. Quae communia habent impositio et declinatio nihil fere pertinent ad VARRONIS propositum, prorsus nihil ad etymologiae studium.

Quod vero demonstrare enititur est dissimilitudo impositionis, quod ad *sonos*, itemque similitudo declinationis.

c. Ceterum ne ea quidem prorsus caret impositio analogia, quam declinationibus inesse VARRO sibi persuasit, ut discimus ex VIII 23: „cum utrumque nonnunquam accidat, et ut in voluntaria declinatione animadvertatur natura et in naturali voluntas, quae, cuiusmodi sint, aperientur infra."

Cui loco G. et SCH. „X 15 sq. 51" annotant. Rectene? Dubito; equidem nil tale locis allatis explicatum offendo, ac minime quidem X 51, ubi declinantibus ut impositionem sequantur concedens cum casibus obliquis comparat rectos, quos inde saepissime effici posse cuivis patet. Cum tamen dicit in *„declinatione"* voluntaria *„nonnumquam"* se naturam nactum esse, id procul dubio spectat ad casus rectos *cum rectis aliis* compositos. Huius exempla analogiae inveniuntur IX 71; 84 sqq.

3. *Declinatio voluntaria; declinatio naturalis.*

Attamen haud facile est dictu, ubi desinat declinatio naturalis, ubi incipiat esse voluntaria declinatio (num ipse VARRO satis id perspexerit dubitari potest), quae igitur analogiae utrique declinationi sint adiudicandae.

Ubique impositionis licentia premitur, quamquam *nonnunquam* eius natura sit conspicua. Sed ne hoc quidem sufficit, quippe unde statim haec oriatur quaestio, utrum in declinatione voluntaria *genera* possint esse, quae analogiam exhibeant an potius natura versetur in exceptionibus *singulisque* verbis in unoquoque genere obviis.

VARRONIS consilium caute neque nimis confidenter eruere conabimur. Identidem illud dicere videtur (VIII 7, 9, 22; IX 34; X 15) naturalem declinationem pertinere ad *genera* (fem. sc. et neutr.), *casus*, *verborum temporalium formas*.

Quibus opponuntur *nomina rebus imposita.*

Iam primum huc revocanda censeo *deminutiva,* quae quamquam analogias multas exhibentia (proportione utitur ipse VARRO hac in parte, cf. G.-SCH. fr. 10, 11) tamen non omnibus numeris perfecta similitudine gaudeant (IX 74).

Quid de *adverbiis,* quorum derivationem iam propius accedere putes ad declinationem nominum? Omnem dubitationem tollit X 17: „quae verba declinata *natura,* ea dividuntur in partis quattuor: in unam quae habet casus neque tempora, ut docilis et facilis; in alteram quae tempora neque casus ut docet, facit; in tertiam quae utraque, ut docens faciens; *in quartam quae neutra, ut docte et facete.* [1])

Exempla quamvis apte sint collecta, indiligenter VARRO adverbiorum *conformationem* in eodem ponit genere atque partium aliarum per casus atque tempora declinationem. *Neque igitur* VARRONIS *decl. naturalis adaequanda est cum ea quam nos declinationem vulgo appellamus.* Posteriores vero melius, adverbiis in partibus orationis collocatis. Ceteroquin non in omnia adverbia cadere naturam eam VARRONEM non fefellit (cf. VIII 9).

Adiectivorum comparationem satis constantem ipsam quoque in declinatione naturali ponere non vereor.

Idem valere videtur in *genera,* quoniam (VIII 7) declinationis naturalis difficultatibus ex impositions mendis repetitis VARRO primos illos *ὀνοματοθέτας* putat „mares liberos voluisse notari, ut ex his feminae declinarentur, ut est ab Terentio Terentia."

Est autem alius intricatior locus, unde contrarium possit peti, et quidem IX 62, ubi in editione G.-SCH. haec leguntur: „Quare quocumque progressa est natura cum usu vocabuli, similiter proportione propagata est analogia, cum in quibus declinationibus *voluntariis* maris et feminae et neutri, quae voluntaria, non debeant similiter declinari, sed in quibus *naturales,* sint declinatus hi qui esse reperiuntur." [2]) Excipiunt ea longam disputationem de modo apparentibus modo deficientibus generum differentiis.

Haec dicere videtur VARRO: est ubi (natura adiuvante) genera proportione formentur; est ubi regantur libidine, cum deficiat rerum natura.

Nihil sane effici potest ex VIII 14 et 52 sqq., qui loci duplicem declinationem in unum confundant.

---

[1]) Minus ergo accurate IX 34: „... naturales ut ab impositis vocabulis quae inclinantur in tempora aut in casus e. q. s."

[2]) Legendum fortasse cum SP.: „cum in quibus declinatus voluntarii". Porro adicienda videtur iis verbis v. q. e. „sunt"; num legamus in fine sententiae: „sed in quibus naturales sint declinatus, hi esse reperiantur"?

4. *Impositio.*

Quam late impositio pateat, quid inter eam intersit et voluntariam declinationem, paucis est tractandum.

a. Haud semel *impositio* et *declinatio* inter se opponuntur ita, ut illa sit quasi fons, hic tamquam rivus (VIII 5 sqq., X 15). Cf. infra.

b. Est ut latius impositio accepta ad *deductiva* quoque spectet. Videsis V 3 „nec quae ex(s)tat sine mendo omnis imposita", quod videlicet de minus recte derivatis dicitur; VI 3: „(natura) enim dux fuit ad vocabula imponenda". Cf. VII I. Iam hinc apparet quam longe VARRO recedat ab Hermonegis Platonici de nominum inanitate doctrina. [1])

c. Quin etiam VIII 27 leguntur haec: „. . . cum utilitatis causa verba ideo sint imposita rebus ut ea(s) significent, si id consequimur una consuetudine, ni[c]hil prodest analogia." Ad quam utilitatem cum per *declinationes* naturales perveniatur, hoc loco impositio tam late se extendere videtur, ut potius complectatur declinationem naturalem quam excludat. Cum totam eam partem AELIO STILONI attribuat REITZENSTEIN [2]), vide num recte iudicet (81): „Für Aelius Stilo, also für die Stoa, umfasst die θέσις im Grunde nur die ersten und einfachsten Worte". Ceteroquin auctorem illum iure G.-SCH. Prol. XLVII sq. reicere videntur.

Neque rectius interpretatus est, ut opinor, REITZ. VIII 5, quem locum sub *a* attulimus. Declinationem scilicet in hoc capitulo derivationem continere arbitratus (o. l. p. 25) „in der κλίσις — inquit — waltet die *ratio* und daher die τέχνη" (26). At ubique negat VARRO rationem in derivationibus *dominari.* Num impositio *latius* accepta *„fons"* possit appellari? Relinquitur, ut auctorem indiligenter sententiam suam protulisse ponamus. Opponere debuit impositioni suae duplicem declinationem rivum utrumque, alterum autem libere per arva serpentem, alterum artis inclusum ripis.

Quae si recte explanavimus nihil iam est quod *hac in parte* cum REITZENSTEINIO librum IX ab VIII discrepare statuamus (60).

MULLER [3]) discrepantiam sibi visus est invenisse l. VII[1] et l. IX[1], quorum hic nullam derivationis mentionem faciat neque declinationis nomine eam comprehendat. Hoc quoque nihil VARRONEM censeo accu-

---

[1]) GEORGES *Ausf. Handwörterb.*[8] s. v. impositio minus accurate „Grundstammbenennungen (von Wörtern, die nicht abgeleitet sind)".

Gravius est quod addit: „imp. unius (casus), Varro L. L. 7. 32", quo loco scriptum legitur: „impositio unius debuit esse *canis*, plurium *canes* e. q. s."

[2]) VARRO p. 51 sqq.

[3]) *O. l.* 149.

sandum, quandoquidem quam impositionem X 15, 16, 35 commemorat nil est nisi declinatio voluntaria sive derivatio. [1])

5. *Consuetudo.*

Non magis simplex certusque est sensus huius vocis, quae modo quodcumque est in usu complectitur, sive analogiae id paret sive minus, modo quasi ratione carens ab analogiae imperio prorsus seiungitur. Quas duas significationes etiam apud grammaticos posteriores saepe confusas melius expedit distingui et separari quam fieri assolet.

Proprie ita non pugnant inter se consuetudo et analogia, ut illa „mater" huius a VARRONE dicatur (IX 3; cf. VIII 26), quae quidem ei sententia a compluribus viris doctis vitio est data, proinde ac si adversarios eius magis deceret. Quinam ex consuetudine natam esse, quae alias e natura profecta censeatur! [2]) Quodsi recte modo illam consuetudinem intelligamus nihil est, quod discrepet, nisi fallor. Inde ab initio homines sunt locuti ita rebus nomina imponentes, ut partim similia, partim dissimilia existerent. Exiguum sane eum numerum verborum declinare coeperunt, partim similitudinem secuti, partim contenti dissimilitudine. Si ad consuetudinem primitiva quoque et nondum declinata traxeris, quid impediet ne analogiam cum ea antiquitus conexam dicas, immo consuetudine quodammodo subnixam? Cum praesertim ipsa declinationis similitudo diversa in diversis linguis consuetudini cuidam pareat. Non plura ex ista imagine colligere debuerunt.

Neque quicquam adversariis concessit et male conferunt [3]) illud QUINTILIANI: „ut ipsam analogiam nulla res alia fecerit quam consuetudo", [4]) de cuius sententia rectissime COLSON „This view is in the main, I suppose, anomalistic." [5]) Aequo sane iure is, qui declinationem inductam in sermonem credat (VIII 3), analogiam quodammodo consuetudinem peperisse dicere potuit, quoniam bonos poëtas novis declinationibus *consuetudine* aures populi subigere iubet (IX 17).

---

[1]) Et quod „communis sensus" *notionis* non magis ullum vestigium exstare dicit M. (l.l.): quid aliud significant vv. q. s. „quo decurritur sine doctrina"?

[2]) COLSON o. l. p. 30; STEINTHAL o. l. p. 500.

Perverse iudicat LERSCH o. l. I 118 VARRONEM analogiam et anomaliam inter se exaequare (cf. I 75, ubi PINDARIONEM et VARRONEM in eodem genere ponit, id quidem recte, melius quam REITZ *Varro* 48; vide infra p. 49[5]). Reprehendere possis VARRONEM, quod uno consuetudinis nomine significat quae sunt „a-logisch" quaeque „on-logisch", ut hodie loquimur.

[3]) GOETZ et SCHOELL in editione. Similiter cum scepticis VARRONEM confuderunt ad VIII 21, et CICERONEM ad VIII 26.

[4]) *Inst. Or.* I 6. 16.

[5]) l.l. Cf. quae apud Q. praecedunt: nec ratione niti analogiam nec legem esse loquendi.

Quodsi talis est vis eius vocis, rectissime VARRO IX 18 de consuetudine sive recta et sequenda, sive depravata et vitanda disputavit; iniuria ergo STEINTHAL p. 501: „Und Varro scheint nicht zu merken, dass er sich hier im Kreise bewegt."

Facile est intellectu quomodo consuetudo sensum possit mutare, eo ipso quod non magis rationem continet quam libidinem hominum. Cum declinationis „vitiosae", quae in consuetudine est, non tantum ipse usus significatur quam eius *origo* atque *auctoritas*, tum consuetudo ista in contemptum adducitur — e mente Varronis loquor — et facile cum licentia ac libidine prope coaequatur. In consuetudinem esse receptum nullam habet dignitatem vel praestantiam [1]).

Prioris in alterum sensum transitum deprendere licet compluribus locis, quorum afferam VIII 57: „*multa* sunt item in hac specie in quibus *potius consuetudinem sequimur quam rationem* verborum." Quoniam is qui loquitur anomaliae vindex *semper et ubique* consuetudinem sequitur, latiore sensu acceptam eam quidem, hic illud „*multa*" significare videtur alteram consuetudinem anomaliae.

Simillimus autem locus VIII 79, qui et ipse habet „non esse ... potius sequendam quam consuetudinem rationem", priorem consuetudini sensum attribuit iubens usquequaque servari consuetudinem, analogiae sive parentem sive resistentem (cf. VIII 26). Quae consuetudinis et rationis oppositio semel facta illi sponte anomaliae sensum obtrudit [2]).

Nusquam apertius eam anomaliae significationem ei inesse videbis quam in fr. 115, quod consuetudinem ab analogia omnimodo separat seiungitque [3]). Etenim consuetudo describitur ut cui „artis ratio non accedat, sed indulgeat".

6. *Utilitas.*

Tam arte hodierni coniungere solent anomaliam utilitatemque, ut quos scripsit VARRO *de utilitate sermonis* libros contrariam tractavisse partem vulgo credant atque eiusdem libros *de similitudine verborum* III [4]). Num iure dubito. Probari haec sententia primo obtuto fortasse videtur iis, quae leguntur IX 48: „cum, inquit, utilitatis causa intro-

[1]) Cf. tale quid in voce nostra q. e. „gewoonte" (*Woordenb. der Ned. Taal* s. v., A).

[2]) Quod quo modo explicent illi, qui consuetudinem a VARRONE originem ac fontem analogiae duci existiment ipsi viderint. Quos si non sequeris, optime omnia quadrant.

[3]) Non memini me usquam apud V. tale quid legere, quapropter conferatur p. 14.

[4]) Fusius hoc demonstrare conatur WILMANNS p. 136 sq.

ducta sit oratio, sequendum non quae habebit similitudinem, sed quae utilitatem" (Cf. VIII 28).

Quantum equidem video nihil inde pro ista sententia est efficiendum. Namque aut ipse VARRO — ita WILMANNS — aut certe adversarii utilitatem anomaliae ponere debuerunt.

a. Prius autem non est credendum [1]). Quod ut perspicias sufficit evolvere VIII 3: „*declinatio* inducta in sermones . . . *utili* et necessaria de causa" [2]) vel potius IX 48, ubi simul utilitatem et similitudines in oratione sicuti in vestimentis sequi nos iubet.

Si quisquam ille propter *inutilitatem* qualia „vitia" exhibent „mas et femina aquila et recto et obliquo vocabulo vis" improbare debuit [3]).

Porro ut alibi in l. VIII hic quoque cum Stoicis consensisse est existimandus, qui quam aperte edocuerint non seiungendam utilitatem a bono rectoque, utpote quod inter omnes constet, copiose demonstrare supersedeo. Lege tantum STOBAEUM: „*πάντα δὲ τἀγαθὰ ὠφέλιμα εἶναι καὶ εὔχρηστα καὶ συμφέροντα καὶ λυσιτελῆ κ.τ.λ.*" [4]). Atque adeo musica ars, qua nihil fere minus est anomaliis indulgens quamque VARRO ad suam de analogia doctrinam refert (X 46), ea propter ipsam utilitatem laudibus effertur a CENSORINO, qui plurima e VARRONE hausisse videtur [5]).

Et quod maioris forsitan momenti sit: non posteriores grammatici talem utilitatem agnoscunt, atque adeo CHARISIUS, ubi quattuor latini sermonis modos tractat, quos Varronianos esse constat (K. I 50 sq. B. 62 sq.), ita *utilitatem analogiae exaequat:* „ex his ergo omnibus

---

[1]) WILMANNS l.l. ita IX 48 interpretatur, ut ibi VARRO suam sententiam promens *utilitatem similitudini opponat.* Non recte, opinor. Namque VARRONIS iudicio non diversae sunt nec altera alteram quasi coërcet, sed ipsa utilitas postulat paritque similitudines, siquidem idcirco similes inter se sunt tunicae viriles, quod utilitati serviunt virorum inter se similium.

[2]) Perperam meo iudicio KOWALSKI *Eos* XXXI (1928) 141 sq. h. l. certamen compositum credit, quod inter duo principia necessitatis et utilitatis sit, quarum illa e natura proficiscatur, haec ex usu et voluntate. Namque quam necessitatem significat VARRO est humilior illa (cf. infra p. II 94 sq.), in eodem fere genere ponenda atque utilitas.

[3]) VIII 7. Hoc possis defendere utilitatem sive necessitatem *differentias* saepe parere, quas minus respondentes ad analogiam anomaliae nomine possimus indicare (cf. infra 119 sq.), sed non id volunt hi viri.

[4]) AB ARNIM *St. V. Fr.* III 21, 42 sq. Plura apud eundem *St. V. Fr.* I 127, 6, III 22, 3, III 76, 11 et 17. KOWALSKI (o. l. p. 157) illa de utilitate praecepta VIII 26 ad Stoicos quoque revocari posse censet. Iniuria ut opinor. Si *eam* voluissent utilitatem, qua re barbarismos et soloecismos tanto opere arcebant?

[5]) E. HOLZER, *Varroniana* (Ulm 1890) p. 6 sq.

consuetudo non haec volgaris nec sordida recipienda est, sed quae horridiorem rationem sono blandiore depellat. interdum enim *utilibus iucunda gratiora sunt*" [1]).

b. At anomaliae defensores ita iudicant eorumque iudicium VARRO paulisper est secutus, qui docent utilitatis causa cum omnia assumpta tum verba inventa esse, quam quia consuetudo praestet eam solam esse quaerendam, cum nihil prosit analogia (cf. VIII 27).

Atqui hic est monendum non coniungere eum locum (VIII 27) utilitatem cum *anomalia,* verum cum *consuetudine,* quae est longe alia res quippe continens et anomaliam et analogiam (§ 26, 33). Contendunt isti quidem in vestitu, in aedificiis, in supellectile dissimilitudinem utilem esse, verum ad *orationis utilitatem* i. e. perspicuitatem brevitatemque fatentur *perveniri posse sine analogia, neque quicquam referre* utrum analogiae oboedientia loquaris necne (§ 26).

Praeterea quomodo cuiquam probari possit inaequabilitatem omnino ordini constantiaeque praestare ad utilitatem sermonis ego quidem vix intellego [2]). Non magis probabile videtur utilitatis nomine anomaliam significare quam elegantiae vel voluptatis, quas dissimilitudinem maiorem praebere sibi persuaserant (§ 31, 32). Eo accedit, quod non existimandus est VARRO istos de anomalia libros (eosque plures quam de verborum similitudine) separatim irrefutatosque in lucem edidisse, quasi suam complecterentur doctrinam. Etenim PLINIUS quam sententiam ex istis affert libris ipsi VARRONI attribuit, quod nemo facere in animum inducet in iis, quae continet L. L. l. VIII, priore parte excepta. Roganti quid igitur libris de utilitate sermonis compositis tractaverit VARRO non habeo quod respondeam, nisi propriam suam doctrinam eum ibi exposuisse, qua *et anomaliam quandam* (consuetudine cogente IX 18) in ipsa declinatione naturali *utilem esse* fortasse duxerit.

7. *Anomaliae infitiatio.*

Quod M. TERENTIUS tam facile non impositionem vacare anomaliis concedit, id ea mente facit, quo pertinacius naturalem declinationem ab dissimilitudinis crimine vindicet atque tueatur. Qua in re haec praeter cetera notatu digna videntur:

---

[1]) Non insolita est ea oppositio; cf. CIC. *De Nat. D.* II 148: „. . . artes quoque efficimus partim ad usum vitae, partim ad oblectationem necessarias."

[2]) Utilitatem cum ratione et arte identidem coniungunt grammatici posteriores: POMP. V 212; EUT. V 456; [PALAEM.] V 543; conferatur ipsa artis definitio, quae tendat „ad usum aliquem vitae necessarium" (DIOM. I 421; ASPER V 547; MAR. VICT. VI 3, AUD. VII 320; VII 161).

a. Nomina verbaque temporalia *defectiva* [1]), etiam atque etiam ab adversariis exagitata, analogiae legem violare REATINUS negat; atque id ea ratione usus: nihil analogiam polliceri nisi „ex duobus similibus similiter declinatis similia fore" (IX 49). Etenim analogiam desiderare non licere, nisi sit res, rei usus, rei vocabulum, vocabuli declinatus naturalis (IX 37 sq.; X 83 sq.).

b. Ne causa cadat, partium tantummodo analogias tuetur, generum dat: „non si genus cum genere discrepa[n]t, sed in suo quisque genere si quid deest, requirendum" (IX 102) [2]).

Qua ratione adductus verba infectiva sive praesentia cum perfectis comparari vetat, ut non sola pupugi, tutudi atque id genus alia tuta sint (IX 99; X 47, 48), verum etiam fui, sum, ero, in quibus rationem *historicam* auxilio arcessit, id quod haud exspectaveris (IX 100).

c. In singularibus nominibus, quale v. q. e. caput „quorum par reperiri ... non possit", non quaerendam esse analogiam contendit (IX 53, X 82).

d. Necessitate fateri coactus nonnulla nomina minus constanter esse declinata (ex quo genere est homo-hominis) ne hic quidem manus dat, sed hac utitur excusatione non habere talia caput ex *sua* analogia. Nonne membra Alexandri statuae ad rationem convenire Philippi capite imposito? (IX 79).

§ 5. DE RATIONE, QUAE INTERCEDIT INTER PHILOSOPHOS, IMPRIMIS STOICOS, ATQVE VARRONEM.

1. *Chrysippi anomalia; quo modo intelligenda.*

Haud raro creditur anomaliae, contra grammaticos Alexandrinos, propugnatores fuisse Stoicos, sicut breviter, ut unum nominem, SCHMEKEL: „Die Stoiker hielten ... in der Lehre vom Ursprunge der Sprache das Princip der Anomalie aufrecht." [3])

Quod in exigua nostra eius rei scientia ita dici non debuit, probari

---

[1]) Hanc vocem latissimo sensu accipio, ut omnia significet quae quamvis collatio postulet deficiant. Vide IX 49.

[2]) Nescio annon opus sit n litteram in v. q. e. discrepant delere; cf. TER. HEAUT. 473: Syrus cum illo vostro consusurrant. Alia exempla apud KÜHNER-STEGM. *Ausf. Gramm. der Lat. Spr.* I 28.

[3]) *Die Philos. d. m. Stoa* p. 206 sq. Quae non facile conciliaveris cum iis, quae p. 206 scribit: „ist es notwendig dass das Wort der *adäquate* Ausdruck des Gedankens ... ist"; cautior igitur est quam duae illae sententia media haec: „Andererseits bringt es auch die Urwüchsigkeit der Sprache mit sich, dass sie nicht *systematisch genau* nach Regeln gebaut ist, sqq."

certe nequit, et difficile ad explicandum a tota Stoicae philosophiae indole dissentire videtur.

Quid enim CHRYSIPPUS? Ostendit ille quidem anomaliis maculari orationem, sed ut est dialecticus semper id agit, ut notiones inter se similes componat cum nominibus impositis, ita tamen ut nec *categorias grammaticales* tangat (quae singulari rei singularem formam, masculinae masculinam exigunt et si qua plura sunt, de quibus vide supra p. 28 *a, b*) [1]), nec spectet *terminationum sonos*, verum unice quod hodierni termino plus minusve ambiguo „*die innere Sprachform*" vocant, *grammatica tamen omissa*. Vituperat quod nonnullae notiones negativae positivas quae dicuntur formas induant, sicuti positivae negativas; quod *ἀ(ν)* praefixum significationes variet. SIMPLICIUS de eo scribit: „*πολλῆς δὲ οὔσης τῆς ἀνωμαλίας Χρύσιππος μὲν ἐν τοῖς περὶ τῶν στερητικῶν λεγομένοις ἐπεξῆλθεν αὐτήν.*" [2]). Itaque haud absurda videtur ea VARRONIS observatio, qua CRATETEM ARISTARCHO oblocutum non pervidisse CHRYSIPPI voluntatem arguat nullum propositum habentis nisi „ostendere similes res dissimilibus verbis et dissimiles similibus esse vocabulis notatas" [3]), quae verba prave interpretatus sis, nisi fallor, si de *omnibus* similibus rebus et dissimilibus dicta esse putes. Immo potius quia anomalia ista ad *impositionem* pertinet CHRYSIPPUS, qui *φύσει* orationem esse creatam credebat, non potuit condemnare impositionem ut prorsus arbitrariam, obnoxiam inaequabilitati. Qui philosophus ineruditorum testimonia, qui *etymologias* affere amet, qui in v.q.e. *ἐγώ* demonstrativum quid invenerit, is certe existimandus est orationem universam ratione factam iudicasse [4]). Nec, si aliter res se haberet, VARRO addere potuisset „id

---

[1]) CHAEREMON Stoicus quaedam patronymica et masculina esse dicit ille quidem, quorum sensus formis nominibusque non conveniant (STEINTH. 353), sed non magis id reprehendere videtur quam posteriores grammatici, qui de *syllabis* ex *una* littera constantibus e. s. agunt.

[2]) AB ARNIM *St. V. Fr.* II 52. Cf. STEINTH. 349 sqq.

De omnium verborum ambiguitate, quam docet CHRYSIPPUS (GELL. *N. A.* XI 12) non multa scimus. Sitne mera — sicut vult STEINTHAL — anomalia dubito. Etenim non exigua pars ambiguitatis istius originem ducit ex iis figuris, quas etymologiae AUGUSTINUS (*Princ. Dial.* cap. 6) asservavit neque eas improbasse videntur Stoici, sed ut veras rationes agnovisse. Cf. de hac re MULLERUM p. 56 sqq., atque REITZ. (V. 72 sqq.), qui luculenter ostendit nonnulla certe ambiguitatum genera ab arte proficisci atque ipsam ambiguitatem artissime conexam esse cum impositione verborum secundum Stoicos.

[3]) „So stellt Varro de l.l. IX 1. die Sache dar, und wir haben keinen Grund, ihm zu misstrauen" (BARWICK, R. P. 179).

[4]) *St. V. Fr.* II 237, 3 sqq. Eandem fere rem affert NIG. FIG. (GELL. X 4), qua vi et ratione naturae nomina facta ostendat. Quamvis ipsum CHRYSIPPUM satis neglegenter scripsisse GALENUS tradat nec soeloecismis abstinuisse (*St.*

quod est ver[b]um", quod ipsius studiis etymologicis quam maxime esset contrarium. Quidni hoc CHRYSIPPUM voluisse censemus: „reperiuntur similes res nonnullae, quae verbis dissimilibus notentur"? Id assentiri debuit VARRO, qui nusquam *talibus* in rebus analogiam *perfectam* inveniri praedicavit. Praeterea non est obliviscendum quae CHRYSIPPUS vituperavit non esse ea, quae loquentes in errores inducant nominibus falsis periculosisque sed levia tantummodo vitia, parvulas discrepantias, quas qui detegat dialectico ingenio iudicioque subtili praeditus sit oportet.

Paululo accuratius VARRO CHRYSIPPI sententiam reddidisse videtur quam STEINTHAL: „dass die Sprache kein treues Abbild der dialektischen Verhältnisse gewähre; denn die Sprachform und der Inhalt des Ausgedrückten decken einander gar häufig keineswegs sqq." (p. 352).

Premit CHRYSIPPUS non tam rei nominisque diversitatem quam nominum inter se cum rebus collatorum discrepantiam [1]).

Quod satis circumspecte STEINTHAL („kein *treues* Abbild" p. 352 et „nicht genau" p. 349) id nulla temperatione usus BARTH: „dass die Stoiker ... eine Ungleichheit des Inhalts des Begriffes oder Objektes und des Wortes annahmen" [2]).

Denique nihil pro certo sit ponendum nisi hoc: invenisse et alios Stoicos philosophos et CHRYSIPPUM verba quaedam, multa fortasse, quorum formae significationibus non *accurate* responderent, quae doctis et acutissimis illis viris non plane satisfacerent, nequaquam vero stulta essent vel prorsus arbitraria [3]). Neque servat modum

---

V. Fr. II 245), in Homero soloecismum deprendit (Schol. ad Il. I, 129, apud LERSCHIUM II 215). Nec eum loqui sed *ut* loqui aestimat CHRYSIPPUS, qui suo loco quodque verbum ponere non possit (VARRO VI 56). Num sunt ea sceptici grammatici?

[1]) Quod minus recte (p. 438) distinguens Stoicos et Alexandrinos dicit STEINTH.: „Bei den (Stoikern) handelte es sich um ein Verhältnis zwischen Logik und Grammatik; bei den (Grammatikern) ... kommt nur das Verhältniss der sprachlichen Elemente unter einander in Betracht", id ipse redarguit p. 355 et p. 447.

[2]) *Die Stoa*[2] p. 120. Nova plane sunt quae de analogia profert. „Die *Analogie* bedeutet, dass den Gedanken die Worte genau entsprechen, dem einfachen Gedanken ein einfaches Wort, dem zusammengesetzten ein zusammengesetztes, also ein strenger Parallelismus zwischen Gedanken und Worten herrscht." Ita scilicet analogia et anomalia belle inter se opponuntur, at vero melius STEINTHAL, quem ille sequitur.

[3]) Graviter REITZ. contendit ARISTARCHUM „theoretisch die *unbedingte* Durchführung der Analogie" postulasse; alioquin Stoicorum et Aristarcheorum certamen non explicari posse (VARRO 89). Quod VARRO aliam ARISTARCHI analogiam describit (IX 1), ea re non movetur REITZ.: „(Varro schwächt) die Behauptungen Aristarchs mit Absicht ab" (55).

STEINTHAL, ubi nonnihil dubitans ita iudicat (358): „so dürften wir wohl berechtigt sein, alle Bemerkungen der Grammatiker, wie viele sich auch finden mögen, welche auf solche Ungleichheit zwischen Laut und Bedeutung zielen, für Chrysippisch, wenigstens stoisch, allerwenigstens für im Geiste der Stoa gemacht anzusehen."

Quasi vero qui non omnia sermonis perfecta laudet extemplo in eodem genere sit ponendus atque Sceptici, qui minus usu edocti quam sententiis philosophicis subnixi data opera totam analogiam pervertere contendant! Id non magis licet quam exaequare Hermogeni VARRONEM. Quo accedit, ut illud et cetera philosophia Stoicorum quomodo inter se sint concilianda non perspiciam.

2. *Chrysippi anomalia; quo modo explicanda.*

Namque explicatione eget; quamquam alia fortasse quam COLSONII, qui non invenuste: „The doctrine" inquit „that behind words, as we have them, lie roots which are true things, implies that as we find them they are not true." [1])

At vero non solae radices illae, quas vocat COLSON, sed etiam derivata et composita sunt vera. Alioquin quid sibi vellent quae AUGUSTINUS Stoica nobis asservavit, similitudo, abusio ceteraque eiusmodi? Quo modo *φύσει* esse orationem dicere potuerunt, si primigenia modo *φύσει* sint? *Ἔτυμον* est verus sensus ex origine patens; [2]) itaque VARRO, ubi de Andromache et Alexandro nominibus dicit: „Imitari dum voluit Euripidem et ponere *ἔτυμον* est lapsus: nam Euripides quod graeca posuit, *ἔτυμα* sunt aperta" (VII 82), hoc dicit non modo apertas esse radices, sed eorum nominum significationes facile e radicibus apparere.

Nec magis probanda quae habet CHRIST-SCHMID [3]): „. . . die Frage ob die Sprache ein Erzeugnis der Natur *(φύσει)* oder menschlicher Konvention *(θέσει)* sei, und den damit zusammenhängenden über Anomalie und Analogie . . ., an dem sich namentlich Chrysippos zugunsten der Anomalie beteiligte."

Quae verba, si ullam, hanc anomaliae Stoicorum explicationem con-

[1]) *O. l.* p. 26. Quod v. q. e. „vinculum" — per efficientiam cum v. q. e. „vis" cognatam — maximam partem obscuram Stoicos duxisse atque tali modo anomaliam intellexisse dicit, obliviscitur non ea illos curare, ut minoris momenti (cf. AUGUST. apud G. et SCH. in editione VARR. p. 241: „quot modis autem origo verborum corruptione vocum varietur, ineptum est persequi"). Non de *sonis* agunt illi verum de *significationibus*. Cf. supra p. 37. Praeterea quae verba a CHRYSIPPO reprehenduntur ea sunt immutata planeque perspicua.

[2]) LIDD. a. SCOTT *Lexicon*[2] s. v. *„the true sense* of a word *according to its origin"*.

[3]) *Gesch. der Griech. Litt.* II 1[6] 257 sq.

tinent eos, qui orationem natura factam praedicent eosdem eo ipso anomaliae defensores esse putandos. Quae quidem perversa sententia tantundem a vero distat quantum Stoicorum *φύσις* divina ab Epicurea illa! Quae supra sunt dicta hic repetantur: quod VARRO (IX 1) veram iudicat CHRYSIPPI sententiam id luculenter ostendit analogiae, quam ipse inesse declinationi credit, istam CHRYSIPPI anomaliam non inimicam esse.

Alia via nec ea difficillima quam quaerimus explicationem inveniendam esse ostendit STEINTHAL [1]), cuius egregiae disputationi de v.q.e. *φύσει* paucula addere liceat.

Stoicorum ut ita dicam monismus duas res postulat, et ut nomina creata vera sint *secundum*que naturam et ut *ab* humana natura, ab hominibus non philosophicis, inventa sint et intellecta: natura et hac in re fuit *lex* atque *dux* (cf. supra p. 26). Unde — id quod accidere in monismo solet — discrepantia quaedam oritur, quippe cum humanam naturam non perfectam absolutamque esse ne Stoicus quidem neget. Eo ipso quod ubique summa et altissima spectat cogitur fateri hanc nostram naturam non semper vivere secundum naturam. Neque hac una in causa tale quid iis accidit. Legas utilissimum caput GELLII (VI 1), quo narrat „quem in modum responderit Chrysippus adversus eos, qui providentiam consistere negaverunt"; unde discimus philosophum considerasse *εἰ αἱ τῶν ἀνθρώπων νόσοι κατὰ φύσιν γίνονται,* vel ut (non male) vertit GELLIUS, „*natura*ne ipsa rerum... morbos... *fecerit.*" Et quidem sic iudicat: quae exstent incommoda, morbi, vitia, ea cum natura aptissima et utilissima gignat, „non per naturam, sed per sequelas quasdam necessarias facta" esse. Quod etiam in hominum mores transfert: „sic hercle, inquit, dum virtus hominibus per consilium naturae gignitur, vitia ibidem per affinitatem contrariam *nata* sunt." Nil est ergo mirandum, si in sermone quoque humano vitia atque incommoda detexerint Stoici, quae tamen nihil sunt nisi velut *aversa pars* operis pulchri, quod elaboravit natura artifex.

Huc accedit quod, si quis et alius, CHRYSIPPUS is erat qui talia negare indignaretur. [2]) Scilicet vir egregia facultate critica praeditus non modo naturae inconcinnitates haud dissimulare solebat, verum ultro ipse anquirebat quae suae doctrinae vere obiectari possent. Cuius rei testimonium invenimus disertissimum apud PLUTARCHUM insimulantem eum quod postquam scripsit *„εἰς διαβολὴν τῶν αἰσθήσεων"* postea *„βουληθεὶς αὖθις συνειπεῖν τῇ Συνηθείᾳ καὶ ταῖς αἰσθήσεσιν, ἐνδεέστερος γέγονεν ἑαυτοῦ."* [3]) Itaque in accusandis vitiis acer erat et diligens, etiam si

[1]) *O. l.* p. 321 sqq.

[2]) Cf. BARTH, *Die Stoa*[2] p. 65 sq.

[3]) *De Stoic. rep.* 10, 1036 c; *St. V. Fr.* II 33. AB ARNIM (P. Wiss. *R. E.* s. v. *Chrys.)* negat proposuisse CHRYSIPPUM scepticas rationes, ut easdem refelleret.

ipsius doctrinae minus id conveniret; qua de re suos queri esse solitos tradit CICERO (*Acad. Pr.* II 87).

3. *Analogiae doctrina et philosophia Stoicorum.*

Analogiae doctrina et philosophia Stoica ita non inter se dissident, ut illa pars esse huius debere videatur. Quod ut apertius fiat possumus commemorare Stoicorum *rationem,* quae eadem *natura* atque deus per omnia pertinens cuncta gubernet ac moderetur, vel eorum placitum *συμπαθείας τῶν ὅλων* [1]), quae „contagio" [2]) ullam mundi partem a ratione prorsus discedere vetet.

Quae philosophia in homine *rationem rectam (ὀρθὸν λόγον)* inesse perhibet [3]), lumen atque *deum* ipsum [4]), quae *rationem* agnoscit in verborum impositione — *φύσει* nempe sunt — quae exstirpare laborat „non convenientem *rationi* sermonis verborum iuncturam" (i. e. soloecismos, vide CHAR. K. I 267; B. 352), quae amplectitur *φράσιν ἀδιάπτωτον ἐν τῇ τεχνικῇ καὶ μὴ εἰκαίᾳ συνηθείᾳ* [5]), non abhorrere ab ea ratione declinationis, qua nihil fere est in oratione magis insigne, manifestum esse videtur.

Similitudinem quam VARRO invenit in declinationibus linguae Graecae ac Latinae (X 31 sqq.), quamque Stoici ostendere amant in etymologia [6]), ea optime cadit in doctrinam, quae unam esse legem, unum ius, unam civitatem profiteatur. [7]) Denique consentaneum est in l. IX VARRONEM Stoicorum sententias in usum suum convertisse, ut suae de analogia doctrinae fundamentum substerneret. Nam quod etiam VIIIum maximam partem e Stoico fonte haustum esse REITZENSTEIN dicit, quo modo id demonstrari possit haud scio; certe ex § 31 sq. tale quid non est efficiendum, quoniam usus v. q. e. *humanitas* ita non a VARRONIS indole abhorret, ut contra frequentissime apud eum GELLIUS invenerit. [8])

Quin idem v. d. talia REATINO exprobrat, quae libenter quis argumentis ac rationibus demonstrata vellet: „in der Litteratur trugen die weinerlichen und heuchlerischen Einfachheits-Prediger vom Schlage eines Varro, Fenestella, Plinius und Genossen mit ihrer chauvinis-

[1]) *St. V. Fr.* II 170_{32}; 172^{39}; 302_{25}; 347_{12}.

[2]) Cic. *De Divin.* II 33.

[3]) Quae *φύσει* est: DIOG. L. X 66. Cf. hac de re et de Stoicorum *φύσει* DAHLMANN *o. l.* p. 58 sqq.

[4]) Cf. SCHMEKEL p. 362.

[5]) DIOG. L. VII 59. Neque VARRONEM fugit triplex *ratio* etymologiae, declinationis, syntaxeos (VIII 1).

[6]) Exempla apud REITZ. *Varro* p. 35 sqq.

[7]) SCHMEKEL o. l. p. 361.

[8]) *N. A.* XIII 16.

tischen Begeisterung für den Bauernsohn Cato den Sieg davon" (sc. de humanitatis cultoribus, *Varro* 54). Sed non rusticus eiusmodi credendus est VARRO, homo ditissimus [1]), cuius „de convivii habitu cultuque" praecepta venusta [2]) prorsus aliam ostendunt indolem.

Haec iam omittamus. Manifesta autem est similitudo I. IX[i] et CICERONIS *De nat. D.* II[i], quam paucis excerptis indicabimus.

Balbus cum *caelum* suspexit (§ 4) admiratur omnium rerum *rationem* et numen praestantissimae mentis, quo caelestia regantur, contemplans *aequabilitatem motus* conversionumque caeli (15, alibi; quibuscum cf. VARRO IX 24 sqq.).

Commemorat *rerum cognationem* (de qua VARRO VIII 3), solis accessus discessusque, *solstitia, brumas, aestus* maritimos, ortu obituque lunae commotos (19; VARRO IX 24 sqq.).

Disputat Lucilius de *disparibilibus* astrorum cursibus (19, cf. supra p. 20) de *similitudinibus*, quibus utitur CHRYSIPPUS (38; cf. VARRO X 42), de ignium *similitudine* (40 sqq.; cf. VARRO passim).

Utilitatem magnopere laudat (60 sqq.; passim; VARRO VIII 3; vide supra p. 33 sqq.).

Loquitur de animalibus ex sese *similia sui* gignentibus (81; VARRO IX 28 sq.). In natura artis quandam similitudinem apparere docet (82; cf. supra p. 21. Et hinc effici posse videtur non esse contraria Stoicorum *φύσει* et aliorum *θέσει*).

Mentionem facit insatiabilis *varietatis* generum tot tamque *disparium*, mentionem concentus ex *dissimillimis* motibus (98, 99, 100; 119; cf. supra p. 20 sq.). Tantam esse docet animantium vim, ut *in suo quaeque genere* permaneat (121, cf. 81; VARRO IX 102, 110).

Denique ubi dei providentiam celebrat, laudibus effert eloquentiae *orationis*que donum atque admirabilem oris fabricam (149; cf. VARRO IX 30 de partibus animae, quarum una nos loquentes faciat) [3]).

Talis philosophia nata erat ad analogiam tuendam ac iure ea Varro nititur [4]). Sane CRATES ARISTARCHUM impugnavit sed „seine Ansichten (dürfen) nicht ohne Weiteres mit den stoischen gleichgesetzt werden" [5]). De CHRYSIPPO nil tale traditur. Quid obstat, quin plerisque

[1]) CIC. Ep. XI 10.

[2]) Apud GELL. XIII, 11.

[3]) Praeterea cum *L. L.* IX 111 conferatur propter notabilem sane similitudinem *N. D.* II § 12, quem locum ad universam causam minus pertinentem exscribere supersedeo.

[4]) REITZ. (*Varro* p. 66 sqq.) copiose Stoica multa in VARRONE conspicua esse demonstravit. Si et analogiae defensio inde originem ducit, minus est accusandus neglegentiae et insipientiae VARRO quam REITZ. putat.

[5]) CHRIST.-SCHMID, *Gesch. d. Griech. Litt.* II 1[6] 270.

Stoicis analogiae doctrinam, qualem defenderat ARISTARCHUS, placuisse credamus?

PANAETIUS certe, CRATETIS auditor, soloecismos atque barbarismos exstirpabat et ARISTARCHUM Homeri explicatorem mirabatur [1]), qua re suo iure suspicari videtur SCHMEKEL non magistrum eum hac in causa esse secutum [2]). Accedit quod vulgo sumunt tertiam partem 1. II[i] CIC. *N. D.*, quacum VARRO saepe consentire videtur, e PANAETII fontibus profluxisse.

Si ita res est comparata neque Stoici philosophi vehementer ipsi sibi oblocuti esse putandi sunt, iam cur Latina grammatica ab ultimo initio ARISTARCHO assensa sit liquet. At vero quid de L. AELIO STILONE?

4. *L. Aelius Stilo.*

Dissentiunt viri docti, defendente MARXIO ARISTARCHI eum partium fuisse, aliis, in quibus REITZENSTEIN est nominandus, contrariam partem. Quae STILONIS verba hunc ut ita iudicaret permoverunt apud CHARISIUM sic leguntur (K. I 129; B. 165): „ferocior tam quam peior melior ait Stilo in eis accusativo posse proferri, ferocioreis." Subsequuntur autem haec: „ferientium ferienteis idem Stilo putat facere debere, ut docenteis saltanteis, e. q. s." Quae duae sententiae quoniam quodammodo inter se pugnare videntur, SCHANZ [3]): „In dieser Stelle", inquit, „deuten die Worte *facere debere* entschieden auf den Analogisten, dagegen die Worte *posse proferri* auf den Anomalisten." Quod de v. q. s. „facere debere" profert equidem non negabo [4]); sed cetera?

Posuerit STILO regulam — ut vult REITZENSTEIN — declinantem ab antiqua illa, quae tantummodo nomina genetivo plurali in -ium exeuntia accusativo in -eis cadere cogit; licet verum illud sit, nihil prorsus demonstrat. Non quaerendum est recte STILO regulam assumpserit necne, verum volueritne esse unus ex analogiae defensoribus. Atque hic est monendum non placuisse iis severe atque anguste singulas modo formas probare, quod ne VARRO quidem fecit (IX 75 sqq.; 90). Contra saepissime plures analogias agnoscunt plura efficientes verba. Quin ipsum illud „posse proferri" haud raro in eorum usu invenimus [5]).

Quodsi ergo prior sententia non adversarium ARISTARCHI eum prodit,

---

[1]) SCHMEKEL o. l. 207.
[2]) SCHMEKEL o. l. 208.
[3]) *Gesch. d. Röm. Litt.* I 1[3], 333.
[4]) Vide infra p. 95 sq.
[5]) Vide infra p. 98.

altera haud dubie Aristarchei est grammatici, non dubitamus ad horum eum numerum ascribere.

Iam omnia bene cohaerent, si vere haec sunt disputata. Maior Stoicorum pars adstipulatur ARISTARCHO de analogia declinationum — de impositione nihil tale perhibuerat! —; a PANAETIO id didicit L. AELIUS STILO, grammaticorum Latinorum princeps, magister ille VARRONIS. Qui quantum ab illo sumpserit nemo scit scietve unquam, ut sunt inopes nostri fontes. Hoc tamen non dubitari velim quin STILO non fuerit auctor libri VIII VARRONIS. Quod efficere ex § 81 quam parum id sit certum GOETZIUM demonstrasse censeo, monentem alia scripsisse VARRONEM e quibus sua repetere potuerit [1]).

Denique VARRONIS rursus vestigia presserunt grammatici posteriores, qui capite sequenti tractabuntur.

Hic autem dicat quis: „Si non L. AELIUS STILO, at alius quidem philosophus Stoicus magno fuit VARRONI usui ad VIII librum conscribendum." Quod non magis demonstrare queas quam sententiam contrariam. Potuerunt certe Stoica quaedam eo penetrasse (et sine dubio penetraverunt), quod et de impositione hic liber identidem agit, et ne Aristarchei quidem ab omni vitio vacuam *θέσιν ὀνομάτων* crediderunt, nedum discipuli CHRYSIPPI, ut de CRATETIS sectatoribus taceam. Ne autem duas res obliviscamur: primum habent communia quaedam Stoici nonnulli atque Sceptici adeo, ut a CHRYSIPPO CARNEADEM armatum esse qui eiusdem sectae sunt conquesti sint. [2]) Deinde caput illud, quod de orationis natura agens totam l. VIII[1] disputationem — exceptis §§ 1–26 — fulcire debet (sicuti et l. IX suum habet fundamentum philosophicum et quidem a Stoicis iactum), undecimum illud caput magis Scepticorum doctrinam in memoriam revocat quam Stoicorum. Non quo perspicuitatem brevitatemque hi non magni fecerint, immo ea ab eloquentia postulant, sed non his sunt contenti. Volunt *ἑλληνισμόν* [3]), *σαφήνειαν, συντομίαν, πρέπον, κατασκευήν.* [4]) Quodsi *τὴν κατασκευήν* § 31 commemorari putes, tamen *τὸ πρέπον* omitti videtur et de hellenismo utique tacet auctor. Qui hellenismus quoniam sic definitur: *„...ἐστι φράσις ἀδιάπτωτος ἐν τῇ τεχνικῇ*

---

[1]) *Zur Würdig. d. gr. Arb. Varros* p. 84 sqq. § 10.

Eiusmodi ex nominibus coniecturis non possum non paululum diffidere. Fuitne BARWICK satis cautus PANSAE auctoritatem odorans ubicumque eius nomen adhibetur exemplum?

[2]) CIC. *Acad. Pr.* II 87; cf. de hac consensione SCHMEKEL o. l. 384 sqq. et STEINTH. p. 354: „Diesmal waren auch die Skeptiker, die überall auf Anomalien, *διαφωνίαι*, Jagd machten, in ihrer (sc. der Stoiker) Bundesgenossenschaft."

[3]) Qui barbarismos et soloecismos fieri vetat (BARWICK *R. P.* 96).

[4]) Cf. de his orationis virtutibus BARW. *R. P.* p. 97.

καὶ μὴ εἰκαίᾳ συνηθείᾳ" (DIOG. L. VII 59), credendum est aut Stoicos quosdam quam maxime hoc loco suorum doctrinae oblocutos esse [1]) aut, quod equidem magis probo, e *Scepticorum* fontibus ea fluxisse. Antequam de iis verba pauca faciamus, breviter SCIPIONIS circulus attingendus fuerit.

5. *Scipionis circulus.*

Sententiam nostram de Stoicis Romanis confirmare videntur quae novimus de Scipionis circulo sermonis usitati emendatore, quamquam ne hac quidem in re omnes consentiunt, alio sodalicium illud analogiam defendisse iudicante [2]) — atque hinc nova et inusitata adhiberi verba vetuisse fuit qui addiderit [3]) — negante vero alio analogiae patrocinium illos suscepisse, quam ad rem verborum delectum severissimum nihil demonstrare [4]). Illud est tamen tenendum ex ipsa analogiae defensione nec ut nova respuat quis verba effici posse, nec ut amplectatur; quoniam duae res in illa parte continentur ut et consuetudo satis irreverenter, ne dicam insolenter, nonnunquam despiciatur, tollatur neque minus tamen temeritas et arbitraria libido in utendo sermone condemnetur, natura et veritas maximopere colantur.

Illud autem de consuetudine neglegenda vel corrigenda distinctione quadam eget, quae omissa nos in errores ducere poterit, hanc dico: *verborum quae declinatione* (quam nos dicimus) *nova fiunt et quae derivatione atque impositione.*

Priora illa utique analogiae doctrina qualem VARRO interpretatur comprobat, immo vero postulat; haec vel evitat vel admittit quis, prout consuetudinem magis corrigendam et supplendam censet, aut reformidat libidinem humanam.

CAESAREM saeva ipsius lex de inauditis atque insolentibus verbis fugiendis non impedit, quominus proferat „*ens*" illud, verbum declinatum [5]).

---

[1]) REITZ. qui nil nisi errores fere VARRONI obtrudere videtur octavum librum e fonte *latino* excerptum pro certo ponit, quod imprimis appareat ex § 67, 68 (*Varro* 51 2). Ratio ea haud idonea videtur.

[2]) SCHANZ *Gesch. d. Röm. Litt.* I 1^3 302. NORDEN *A. K.* I 184 sqq.

[3]) NORDEN *A. K.* l.l., quem tamen deseruisse hanc partem dicere videntur *Nachträge* o. l. p. 14 sq.

[4]) REITZ. *Varro* p. 90 sqq. exponit SCIPIONEM c. s., imprimis LUCILIUM non analogiae sed Stoicorum doctrinam sequi; Sisennam analogiam primum introducentem facit, quem NORDEN Scipioni, analogiae vindici, opposuerat.

[5]) Hanc ob causam non sequor REITZENSTEINIUM (p. 63) adnotantem ad VARRONIS IX 20: „Dem entsprach, wie ich jetzt folgere, in beabsichtigtem Gegensatz, in der Einleitung Cäsars die leider nicht wortgetreu erhaltene Vorschrift: *tanquam scopulum sic fugias inauditum atque insolens verbum.* Die Grammatik

Contra etiamsi summo studio VARRO l. IX novorum verborum causam agit nullo modo id — quod fecit KROLL [1]) — in impositionem est transferendum; sententiam talem si ei adscribere velis ex eius de declinatione voluntaria disputationibus fortasse haurias licet; fortasse, nam magis impositionem necessitudine coactum indefensam reliquisse eum puto quam cuivis novatori sponte aperuisse.

De Sisenna REITZENSTEIN [2]): „Von seinem analogistischen Eifer berichtet Cicero (*Brut.* 259): Sisenna autem quasi emendator sermonis usitati cum esse vellet;" assentior, nisi quod proprie *universam* sermonis emendationem CICERO significat (quod iis quae apud eum sequuntur satis declaratur), cuius pars est analogiae restitutio [3]).

Itaque apparet cum analogiae defensione non semper coniunctam esse (neque debere) censuram austeram impositionum novarum. Neutiquam licet, quod mirabile dictu utrumque nonnumquam fit, in anomaliae patronorum numerum referre vel qui novas impositiones aspernantur, vel qui libenter recipiunt. Nec cum MULLERO AELIUS STILO [4]) nec

---

ist in dieser Schrift *περὶ ἀναλογίας* vollständig zum Siege gelangt, die Stoa überwunden."

Pariter iusto plus idem v. d. collegit ex eo quod CAESAR (GELL. XIX 8) *quadrigarum* pluralem, *harenae* singularem formam non ex earum *natura* explicavit, quasi a Stoica VARRONIS methodo abhorrens. Attamen apud GELLIUM Fronto postquam haec non irrationalia ostendit, aliis eiusdem generis verbis in medium prolatis „Quaeri — inquit — ista omnia, et enucleari, et excudi ab hominibus negotiosis in civitate tam occupata non queunt". Itaque non est credendum, neque id Fronto suggerit, de industria et ubique CAESAREM talibus explicationibus abstinuisse.

[1]) KROLL *Stud. zum Verst. d. Röm. Litt.* p. 102. GELLIUS (I 10) iis, quae de CAESARIS praecepto tradit haec verba praemittit: „Vive ergo moribus praeteritis, loquere verbis praesentibus." Iure ergo opinatus est idem v. d. KROLL (*Stud.* 94 1) MACROBII verba, quae leguntur *Sat.* 1. 5. 2 „vivamus moribus praeteritis, praesentibus verbis loquamur" ex fonte vetustiore esse hausta.

[2]) *O. l.* p. 53 1.

[3]) Minus recte ergo REITZ. 62: „Da kam Sisenna und stellte zuerst die Forderung des *recte* (*ἀναλόγως*) *loqui* auf; er suchte das freilich im Grunde in einem beständigen Verletzen der *συνήθεια*.

[4]) MULLER *o. l.* 103: „Aelium *non* fuisse *analogiae* sectatorem, cui rei optime mihi quidem accommodatum videtur, quod Aelius . . . nova verba necdum usitata, quae analogiae via ac ratione formarentur, repudiare solebat." Miror *vetuerintne* talia ei, qui de lingua sentirent eadem, quae fons VARRONIS VIII § 26 sqq. Aspernabantur sermonem *emendatum*, non legibus illi quidem obtemperantes, verum adversantes.

Praeterea de CAESARE similia atque de STILONE leguntur; nec non VARRO nonnumquam certe ita iudicabat (cf. fr. 56 G. et SCH.), qui tamen quin analogiae parere voluerint nemo est, qui dubitet.

Stoici contra nova verba non vitabant, *eam ob causam* analogiae defensores?

SISENNA cum NORDENIO [1]) ibi est ponendus. Modo distinguendum, si licet, qui auctores impositionis novae propugnatores liberam imponendi licentiam proclament, quique nisi circumspecte et consulte nihil novi proferre audeant; distinguendum ergo inter Laevios atque Cicerones, quorum illi anomaliae hi analogiae defensoribus propius accedunt.

Contra vero si quis mordicus tenet non esse audendum, nihil fingendum et innovandum, eum certe analogiae doctrinam probare veri est simillimum. Nam quod utrosque disiungat et alteros contra alteros concitet apprime illud esse VARRO et SEXTUS EMPIRICUS satis nos docent, quod hi consuetudinem populi, sermonem cotidianum spernentes emendare, purgare instituerint, illi cuncta talia ut supervacanea irridentes nihil agnoscant, quod immutabile et sanctum sermoni leges imponat, quippe cum oratio si cogitata luculenter breviterque exprimat, nihil sit quod amplius ab ea postules.

At vero illud est quod de SCIPIONE sodalibusque eius traditur non indulsisse eos sermoni cotidiano sed varie normam rationis adhibuisse. Ipse SCIPIO v. q. s. *pertisum* et *rederguisse* finxit, de quibus REITZENSTEIN [2]): „Gewiss sind *pertisum* und *rederguisse für uns* Analogiebildungen und sind thatsächlich aus dem Bestreben der Angleichung entstanden." Quid aliud autem analogia vult aut quis *anomaliae* propugnator in animum inducat ut „quo facetior videatur" consuetudinem omnium hominum similitudinis causa mutet? Et quod addit REITZENSTEIN *„Analogist im antiken Sinne* ist SCIPIO darum doch nicht, da der Streit *περὶ ἀναλογίας sich nur um die Flexion bewegt* (VARRO de lingua lat. IX 1, X 16)" id ut multum dicat vereor. Etenim fieri non potuit, quin a primitivis ad derivata et composita certamen illud transferretur, nec satis patet quam ob rem non eo tempore iam consequentia ea sit perspecta; vel fac novum id tum fuerit, quî potest declinationum analogiam praetermittere qui derivationis et compositorum inquirit?

LUCILIUM ostendit REITZENSTEIN [3]) certissimis me iudice argumentis attentum Stoicos audisse. Num minus fuit ob eam causam analogiae studiosus? SOMMER de eo scripsit disputationem utilissi-

---

[1]) *l. l.* Rectissime REITZ. (64 1): „Es ist falsch, wenn (sc. propter *Ep.* II, 3, 70 sq.) Norden ... Horaz, oder seine Quelle, darum zum Anomalisten macht". Neque KROLL (*Stud.* 97 „sputatilica" affere debuit, ut SISENNAE analogiae studium probaret. Quod porro veteres poëtae multa nova finxerunt verba, quamquam exempla quaedam sequebantur — ut quivis verborum fabricator — id nullo modo cum eodem v. d. (*l. l.* 100 sq.) ad analogiae *doctrinam* et studium est revocandum.

[2]) *Scip. Aemil. u. die St. Rhet. p. 147* 2 (Festschr. zur XLVI Philolog. Vers., Strassb. 1901).

[3]) *Varro* p. 90 sqq.

mam [1]), qua demonstraret non casu nec fortuito orthographiae regulas de ei et i litteris constituisse LUCILIUM, sed ratione adductum et quidem ea, quam TRYPHO quoque adhibuerit docens „*ὅτι συνέπαθεν ἡ φωνὴ τῷ σημαινομένῳ.*" Et re vera TRYPHONIS alucinationes [2]) comparari possunt, quamquam nonnihil discrepant. Etenim hic de *explicanda* consuetudine agitur (inde *ὅτι συνέπαθεν*), illic, apud LUCILIUM, de *emendanda,* hic de *sonis* exstantibus, illic de *orthographia* imprimis novanda; hic de *impositione* (praeterquam quod semel de augmento imperfecti fit mentio), illic de *declinatione* quoque, et, quod minime est neglegendum, hic *compassio* tractatur, i. e. mutatio concors, illic *non item,* non semper certe. Quamvis ergo m. q. s. paulo subtilius sint distinguenda quae nullo discrimine facto composuit SOMMER, tamen illud optime discimus: *rationem declinandi indagasse* LUCILIUM, *qua et formas singulas discerneret et naturae respondentes redderet.* Quodsi quis talis methodi originem ex Stoicorum philosophia ducere voluerit [3]), hoc tantum ostenderit scholam eam ad analogiae doctrinam non potuisse non pervenire vel si mavis devenire.

6. *Sceptici.*

Hellenismum novimus a Scepticis consuetudini esse exaequatum, inutiles ea de causa esse hellenismi leges. Scimus eos ad perspicuitatem non necessariam duxisse analogiam; nullam agnovisse analogiam, nisi quae cum consuetudine congrueret (cf. VARRO VIII 33);

---

[1]) *Hermes* XLIV 1909 p. 70—78; cf. LERSCH III 81 sq., STEINTH. 342. Quas alii eorundem versuum constituendorum rationes inierunt (KENT; COLSON; SUESS, *Petronii Imitatio* 39 sq.) summam rerum, de qua agit S., non mutare videntur. Id quod defendit S. tota grammaticae Romanae indoles commendat, utpote quae ad naturae rerum exemplar totam orationem fictam esse velit; cf. cap. II p. 1 sqq. Ceterum quae adeatur digna est SUESSII commentatio.

Quam LUCILII *inconstantiam* TER. SCAURUS et VARRO reprehendunt (VII 19; FUN. fr. 272) hac in re positam suspicatur SUESS (56), quod „poterat iure et merito quaeri, nonne ad normae huius constantiam essent omnes voces in singulari per *i,* in plurali per *ei* scribendae." Vix recte; addit enim TER. SC.: „cum alioqui i non aliud in singulari quam in plurali ... sonet." Haec est igitur inconstantia, quod ipse VARRO *discretionis causa* diversa ratione scribit quae pariter sonent. Atque id ipsum, si recte suspicor, VARRO in LUCILIO vituperaverat, qui „exilia" atque „plena" *ad meros sonos* revocanda censebat, LUCILIUS vero partim ad sonos, partim ad rerum significationes discernentem, exprimentem orthographiam.

[2]) Non tamen dubito, quin compassio quaedam recte adhiberi possit, siquidem „sous l'influence d'un sentiment très vif les consonnes aussi bien que les voyelles — j'aimerais à dire: — s'endurcissent." (JAC. v. GINNEKEN, *Princ. de Ling. psych.* 1907, p. 184 1).

[3]) SOMMER.

nullam hellenismi artem credidisse (cf. VARRO IX 111) [1]), ut paucis dicam consuetudinem defendisse, virtutes vitiaque nihil fere pensi habuisse. Nam quod perspicuitatem semper in ore habent, usui ea vitae imprimis servit. Si quis mihi hic opponat tamen *brevitatem* postulari VIII 26, id quod ipsi Stoici facere consueverint: *non omnis est brevitas eiusdem generis.*

Sunt qui breves esse laborent, ne otiosi sint, ne enervati ac loquaces: ut Stoici. Sunt item qui socordia quadam adducti nil curent, modo intellegantur, qui audientium malevolentiam timeant, qui omnem orationis laborem fugiant. Horum in numero pono eum, qui idcirco tantum brevitatem quaerat, quia sit „utilis" ea atque „ut cito intellegatur" [2]). Quam ob rem male cum hoc loco CIC. *De Inv.* I 16, 23 conferunt [3]), qui locus non ad *sermonem* pertineat atque porro *et alia* et haec oratorem sequi iubeat. Si quis in iis rebus *solis* [4]) perfectam eloquentiae et orationis speciem positam esse sibi persuasit, ille qui in Scepticorum numerum referatur dignus est. Cf. infra cap. II p. 118. Ne multa: totus huius octavi libri tenor esse is mihi videtur ut, quod ad partem generalem ac plus minusve philosophicam, non tam e Stoicorum mente quam e Scepticorum scriptus sit [5]).

7. *Epicurei.*

Neque sine veritatis specie defendi possit in his multum fuisse *Epicureos.* Levioris fortasse est momenti quod etiam atque etiam VIII § 31 *voluptas* praedicatur, quae res haud aliena est ab „ea philosophia, quae suscepit patrocinium voluptatis" (CIC. *De Or.* III § 63).

Duae sunt autem res, quae certe veniant in censum, quarum prior:

a. Epicuri de linguae origine ratio. Haec eum docuisse tradit nobis DIOG. LAERT. (X 75): *„τὰ ὀνόματα ἐξ ἀρχῆς μὴ θέσει γενέσθαι, ἀλλ' αὐτὰς τὰς φύσεις τῶν ἀνθρώπων καθ' ἕκαστα ἔθνη ἴδια πασχούσας πάθη καὶ ἴδια λαμβανούσας φαντάσματα ἰδίως τὸν ἀέρα ἐκπέμπειν, στελλόμενον ὑφ' ἑκάστων τῶν παθῶν καὶ τῶν φαντασμάτων, ὡς ἄν ποτε καὶ ἡ παρὰ τοὺς τόπους τῶν ἐθνῶν*

[1]) Cf. de his omnibus rebus: LERSCH o. l. p. 86 sqq.

[2]) Hic nescio quo modo in mentem mihi venit eorum qui et alibi et in patria nostra *orthographiae simplicitatem* prae se ferentes non rationis leges curant, non historiae normas morantur, dummodo cito intellegantur, ut ait VARRO, ac serviant commoditati.

[3]) G. et SCH. in edit. sua.

[4]) Quoniam quasi invitus elegantiae normam agnoscit § 31.

[5]) Pessime REITZ. (*Varro* 48 1) cum his PINDARIONIS confert sententiam: *ἀναλογία ὁμολογουμένως ἐκ τῆς συνηθείας ὁρμᾶται* e. q. s., quae quidem non magis anomaliae indulget quam similis ipsius Varronis a nonnullis male intellecta. V. supra 32.

διαφορὰ εἴη. ὕστερον δὲ κοινῶς καθ' ἕκαστα ἔθνη τὰ ἴδια τεθῆναι πρὸς τὸ τὰς δηλώσεις ἧττον ἀμφιβόλους γενέσθαι ἀλλήλοις καὶ συντομωτέρως δηλουμένας. τινὰ δὲ καὶ οὐ συνορώμενα πράγματα εἰσφέροντας τοὺς συνειδότας παρεγγυῆσαί τινας φθόγγους τοὺς ἀναγκασθέντας ἀναφωνῆσαι, τοὺς δὲ τῷ λογισμῷ ἑλομένους κατὰ τὴν πλείστην αἰτίαν οὕτως ἑρμηνεῦσαι." [1])

Ita ea intelligere, ut primo quidem a singulis naturis singula sint nomina edita, postea autem vera *ὀνομάτων θέσις* sublata incondita verborum turba nova prorsus constituerit nos vetant quae ex ORIGENE discimus: *„ὡς διδάσκει Ἐπίκουρος (ἑτέρως ἢ ὡς οἴονται οἱ ἀπὸ τῆς Στοᾶς) φύσει ἐστὶ τὰ ὀνόματα."* [2])

Inde ab initio gentes quasdam sumere EPICURUS videtur, quas orationis vinculum, qualecumque est, colligat, cum naturae morumque congruentia consensum quendam pariat sermonis quamvis exiguum. Quo quidem consensu usi ac subnixi postea ea homines constituisse videntur, quae ab omnibus facillime disci intellegique possent. Unde sequitur, ut satis relictum sit ex priore illa „natura" (dissimili pro gentium hominumque dissimilitudine), ut ordinem constantem, ut concinnas similitudines, *ut analogiam in tali sermone exspectare haudquaquam licitum sit.* Vix VARRONIS impositiones sibi constabant; quid ergo hae? Iure enim DAHLMANN (o. l. p. 60): „Epicurus in mundi orgine et in cultus humani historia exponenda nihil quodam *λόγῳ* actum esse contendit."

Non plane sequor DAHLMANNIUM sic EPICURI sententiam interpretantem, quasi in prima positione „res et verbum artissime inter se cohaere(a)nt" (*o. l.* p. 13) atque etiam postremo „verbum et obiectum iunctura quaedam indissolubili coniuncta" sint (*l. l.*). Melius mea quidem opinione idem p. 20: „Lucretius quod maxime operam dat linguae humanae cum sonis bestiarum componendae ex Epicuro certe ... hausit" et p. 41: „Epicuri *„φύσει"*, ut vidimus, non ad res spectat, quasi rerum natura verbis exprimatur e. q. s."; imprimis p. 43: „statuemus Epicurum omnino numquam quaesivisse, quid disci possit ex nominibus e. q. s."

Prorsus dissentio a ROBERTO PHILIPPSON, qui ponit et DEMOCRITUM et EPICURUM et ARISTOTELEM ita *τὸ φύσει* defendisse, ut *prima* quidem

[1]) Missas faciemus quae non huc pertinentes quaestiones oriuntur, quo modo textus, qui dicitur, sit constituendus, quid sibi velint *οὐ συνορώμενα πράγματα*, quinam dicantur *ἑρμηνεῦσαι*, de quibus rebus consultandus est DAHLMANN *De Philos. Graec. Sent. ad Loquellae Originem pertinentibus Capita duo*, Weidae Thuring. 1928 p. 6 sqq.; cf. de hac commentatione ROB. PHILIPPSON *Ph. W. S.* 8 Juni 1929, qui iure suo contra STHEINTHALIUM, *o. l.* p. 319 non illudentem sed EPICURI doctrinam describentem adderé PROCLUM putat: *„ὡς οἱ βήσσοντες καὶ πταίροντες καὶ μυκώμενοι κ. τ. λ."*

[2]) *Contra Cels.* I 24.

vocabula *imagines rerum* crederent [1]). Neque quicquam tale de iis traditum est et quae memoria scriptorum nobis servavit minime id probant. Cf. de DEMOCRITI verbis q. s. *ἀγάλματα φωνήεντα* STEINTHAL o. l. XIX.

Unde autem Epicureorum sermo emendatus, quibus legibus correctus, quas ad normas respondens? *Πρὸς τὸ τὰς δηλώσεις ἧττον ἀμφιβόλους γενέσθαι ἀλλήλοις καὶ συντομωτέρως δηλουμένας.* En habes, quae ne Epicurei quidem homines neglegunt, quae utilitatis causa amplectuntur, *quae eadem apud* VARRONEM *analogiae quasi impugnatorem inveneramus!*

Iam manifestum est, quantum intersit inter elegantem, elaboratam brevitatem perspicuitatemque, quae quam accuratissime verbis sententias efferre enitatur, apud homines doctos dicendique peritos, inter talem brevitatem perspicuitatemque ergo atque eam, quam consectentur leviora genera hominum ad voluptatem, utilitatem [2]), commoditatem cuncta metientium. [3])

Tutam, credo, rationem sequimur si analogiam contempsisse cumque Scepticis consensisse arbitramur discipulos eius EPICURI, qui „rationale linguae argumentum eiusque vim in genere humano educando prorsus neglexit" (MULLER, *o. l.* p. 68).

b. Praeterea de Epicureis atque eorum scripturae genere multa legimus eo pertinentia, ut *vulgari sermone* utantur, *nullam artem dicendi esse putent* [4]), omnem *fugiant disciplinam* [5]), liberi „ad scribendi *licentiam.*" [6])

---

[1]) *Mitteil. Platons Kratylos und Democrit,* Ph. W. S. 27 Juli 1929 col. 923 sqq.

[2]) Neque omnis *utilitas* est eiusdem naturae. Distinguamus oportet inter Stoicorum utilitatem, ex bono rectoque *natam* (cf. supra p. 34) atque humiliorem ne dicam viliorem utilitatem Epicureorum „iusti prope *matrem* et aequi" (HORAT. *Sat.* I 3. 98).

[3]) CICERO docens „definitio est oratio quae quid sit de quo agitur ostendit quam *brevissime*" (*Orat.* 33. 116, a DIOMEDE I 421 assumpta) brevitatem longe aliam dicit atque quam brevitatem consuetudo loquendi amat (CHAR. K. I 176; B. 226; DIOM. I 371).

[4]) CIC. *Ac. Post.* I § 5.

[5]) QUINT. *Inst. Or.* XII 2. 24.

[6]) CIC. *Nat. D.* I § 123 de ipso Epicuro.

REITZENSTEIN (*Scipio Aemil. u. die Stoische Rhetorik* p. 156) aliqua ex parte in aequo ponit Epicureorum scribendi praecepta praeceptis Stoicorum: „Aehnliche Lehren hat aber auch die epikureische Schule angenommen... In der Verwendung der Metaphern und des Redeschmuckes scheint der Epikureer sogar noch zurückhaltender und sorgfältiger gewesen zu sein, als der Stoiker sqq." Equidem, si qua similia videntur, magis ea specie quam reapse aequalia duco, siquidem EPICURI discipuli a corpore profecti ad corpus revertuntur, ZENONIS autem sectatores corpore spreto nihil antiquius habent quam animum. Cf. quid de amore dissentiant *St. V. Fr.* III 181. 21 sqq.

Nulli profecto homines magis probaverint quae de sufficiente consuetudine, de utilitate, de praeceptis supervacaneis octavo VARRONIS libro disseruntur.

Quibus rationibus ducti nobis persuasimus, quoniam multis in rebus consentiant cum Scepticis Epicurei, haud improbabile existimandum in octavo libro conscribendo Epicureorum quoque doctrinam VARRONEM in usum suum convertisse; si Stoicorum argumenta alicunde mutuatus sit, ea non ad libri totius indolem atque sententias generales spectare, verum ad exempla quaedam, imprimis pertinentia ad impositionem.

8. *Pythagorei.*

Sicuti in *defendenda* analogia Stoicorum sententias in suum usum convertit VARRO, ita nonnihil a Pythagoreis eum sumpsisse haud absurdum videtur. Quas duas sectas saepius in uno homine se coniungentes videmus, id quod POSIDONII satis declarant. Neque de origine sermonis multum inter se utriusque scholae discipuli dissentiunt.

PYTHAGORAE utique sententia quaedam a pluribus auctoribus attribuitur, qua secundum, quod ad sapientiam, dixerit eum, qui nomina rebus imposuisset [1]). Unde hoc efficere licet *φύσει* creatam esse orationem Pythagoreos iudicasse; quocum optime conveniunt quae paulo abstrusius nec tamen illepide disputat VARRONIS aequalis NIGIDIUS FIGULUS de pronominibus *φύσει* formatis, cum CHRYSIPPI fragmento congruentia [2]), fortasse ex eo hausta, ut quidam auctores sunt [3]). Ostendunt certe Pythagoreo homini talia arridere.

Certiores nos facit CENSORINUS a VARRONE opinionem quandam Pythagoricam in libro, qui *Tubero* inscriberetur, esse tractatam, quo in libro et alia et haec exposuerit: „eos vero numeros qui in unoquoque partu aliquid adferunt mutationis — inter se *conlatos rationem* habere eam quam voces habent quae in musice *σύμφωνοι* vocantur" [4]).

Ea est quae in re musica versatur analogia! Lege tantummodo L. L. X 37: „si ad eas duas alterae duae res *collatae* sunt, quae *rationem* habeant eandem, ... dicitur utrumque separatim *ἀνάλογον* e. q. s."; porro X 46 et cum v. q. e. *σύμφωνοι* comparentur res „(h)armonicae" X 64.

Quodsi meminimus quantam in universo mundo philosophi illi tribuant musicae vim, satis confidenter possumus statuere eos quoque multifariam analogiam agnovisse in natura rerum. Qui studiosissimi

---

[1]) STEINTHAL *o. l.* p. 150 sqq. MULLER *o. l.* 10 sq.

[2]) Verba N. FIGULI apud GELL. X 4; CHRYSIPPI apud AB ARN. *St. V. Fr.* II 245.

[3]) DAHLMANN *o. l.* (cf. p. 50), p. 14. Cf. *St. V. Fr.* II 237, 245.

[4]) E. HOLZER *Varroniana* (*Wiss. Beil. zum Programm des Kgl. Gymn. in Ulm*, Ulm 1890) p. 6.

fuerunt arithmeticae geometriaeque, abundantis crebris analogiis (cf. IX 86 sqq.; X 42), ac sermonis originem *naturalem* sumpserunt, eos VARRONIS auctores fuisse haud incredibile videtur [1]).

§ 6. IUDICIUM.

Quod huius doctrinae iudicium paucis verbis addituri sumus, id non pertinebit ad VARRONIS de tota quaestione sententiam.

Gravissima illa, utrum recte iudicaverit necne de natura, impositionis sive duce sive fundamento, de analogia quoqueversus introducenda aque poëtis quam maxime postulanda, de loquelae normis legibusque et si qua plura sunt eiusmodi, ea cuncta hoc quidem capite relinquemus, ut illud dumtaxat inquiramus, num sibi constans fuerit VARRO, num consequentia sint quae ex praeiudicatis suis opinionibus collegerit, i. e. ut breviter adumbrantesque temptemus quod nostri vocant „immanente kritiek", sive iudicium quasi *internum*.

Quodsi iudicium tale proferre inchoamus, nos quidem permulta in VARRONIS opere admiramur, ut diligenter meditata apteque cohaerentia. Quae tamen admiratio sincera non impedit, quominus complura vitia non advertere vix possimus. Nonnulla supra iam sunt indicata.

1. Et quidem hoc gravissime VARRO peccaverit, quod *dissimilia* nuncupat modo *genera*, quae, si erit analogia versicolor atque ornatus varietas, disparia esse debent; modo quae *in uno atque eodem genere* dissentientia ordinem atque constantiam pervertant. Ne *verborum* id vel errorem vel ambiguitatem credamus, haud dubie prohibet IX 113. Neglexit ergo distinguere notiones illas dissimilitudinis *naturalis* et *vitiosae*, in quibus omnia posita sunt, nedum — rem summae difficultatis! — nobis indicaverit quod dissimilitudinum earum confinium sit, ubi anomalia desinat, analogia incipiat. Cf. supra p. 19 sqq.

2. In *naturam* confertur quod merum *idioma* est linguae Latinae: „aut praesenti aut absenti imperamus... perfectum enim imperat nemo" (IX 101).

Et eius et aliorum vitiorum origo hac in re est posita, quod semper nimium probare studet VARRO, quod nimium simplicia ac facilia argumenta amat, quod doctrinam sibi fingit integram, incorruptam, quasi ipsa vita atque sermo humanus sit incolumis salvusque. Quamquam non omnino exceptionibus et rebus quae doctrinae unitatem perturbent locum denegat, siquidem in voluntaria declinatione naturam, in naturali voluntatem est ut agnoscat (VIII 23).

[1]) Saepius VARRONEM Pythagoreorum sententias referre ostendit A. D. NOCK *The Class. Rev.* XLIII 2 (1929) 60 sq.

3. Quae ratio inter *naturam* et *artem* intercedat non satis indicatur. Quamvis primo non ambigue naturae orationem addicat (IX 30) eandemque naturam quam potest artissime conectat cum analogia (IX 4), postea ab adversariis movetur, ut cum vestimentis et talibus componat sermonem, quippe quae et ipsa similitudines dissimilitudinesque habeant. Nunciam non est quomodo consuetudinem corrigas pellasve *rationis* legibus ac normis perpetuis. Tum evanescunt omnia graviora et altiora, ad quae orationem dirigi ipse voluit; manent quas adversarii (VIII 26 sqq.) regulas statuerant utilitatis scilicet vel summum varietatis oblectantis.

Neque solum comparat cum rebus arte factis loquelam humanam, sed etiam disertis verbis analogiam severissimae formae ibi reperiri ostendit (X 46). En iacet omnis illa naturae et voluntatis distinctio, qua cuncta nituntur!

Neque potuit tale quid defendi, quoniam qui idcirco naturae orationem attribuit, quod parte animae profertur (IX 30), quomodo *omnia* opera humana naturae potest non assignare? Melius M. TULLIUS (*Nat. D.* II § 152): „Nostris denique manibus in rerum natura quasi alteram naturam efficere conamur."

4. Pugnantia dicit, cum *voluntariam* impositionem vocat, quae tamen declinationi *naturali* quodammodo est subiecta. Vide supra p. 28.

5. Ne doctrina sua aliquam reprehensionis ansam habeat, *definitionem* analogiae proponit, vel potius ab aliis accipit, ita *severam* angustamque, ut non magis prope anomalias excludat quam ipsas analogias, siquidem diversi generis, declinationis simillimae nomina (velut mens et dens) similia esse negantur (X 8) [1]).

6. Eodem pertinet, quod *generum* quorundam analogias omnino tollit, cum alicubi deficientes reperiantur (pungo, pupugi; fui, sum, ero: IX 99, 100). Magnam itaque partem coniugationis iniuria dissimilitudini concedit, quam dissimilitudinem, etsi ambigua est (vide supra sub 1) animadversarii quin anomaliam nuncupaverint vix est dubitandum.

Haud dubie rectius fecisset, si generum quoque analogias tutatus esset exceptionibus neque neglectis nec dissimulatis.

7. Similem ob causam non aperte confitetur quas *analogias*, neminem fugientes, continet *impositio;* idque eo proposito, ut simplicem suam ac facilem sententiam de declinatione voluntaria et arbitraria (VIII 21 sqq.) tutam reddat.

8. Ut quivis unus causidicus *sophismatis* uti non veretur. Quid enim aliud, ubi de v. q. e. homo concedit „non[a] non analogian esse,

---

[1]) Iniuria STEINTH. 495 m. q. s. genus accipit ita, ut „Classe" sit. Vide X 8; 21.

sed obliquos casus non habere caput ex sua analogia" (IX 79)? Quo nihil captiosius. Haud verius, etiamsi in minore orationis parte analogia versetur, tamen *esse* eam arguit (IX 45). „Nonne nos habere calceos quod in maiore parte corporis non habeamus?" Profecto erat cur id STEINTHAL (p. 500) reprehenderet!

Quidve dicamus de ea sententia, qua hoc se solum defensurum profitetur REATINUS „ex duobus vocabulis similibus casus similiter declinatos similes fieri" (IX 50)? Enimvero quis hoc neget addubitetve? Quo vitioso circulo nixum non magni videlicet est laboris probare v. q. e. caput nequaquam violare analogiam (IX 53). Neque magis monoptota (X 82), sic defensa, peccant.

9. Quamvis suo iure saepius naturam atque usum auxilio vocet ad defectiva quaedam verba purganda, non eum fugere debebat (si quidem fugit!) quam frequenter tali excusationi locus non praebeatur. Verum quod libet licetque refutat, neglegere solet quae minus conveniunt.

Attamen quid opus erat ad deficientia tutanda naturam atque usum, ut analogiae fundamenta, auxilio arcessere (IX 63, al.), si plenam declinationem ab analogia postulari non licet (IX 49)?

Esto, admisit paucas exceptiones investigari posse, sed tamen quasi volsillis animadversarii pugnarent cavillans [1]) leviuscule rem absolvit. Cf. supra p. 35 sq.

10. VARRO (IX 6) populum rationi iubet parere, populo singulos, pariter atque in navi gubernator rationi obtemperare debeat, gubernatori unusquisque vector. At hic sunt tria, illic in oratione duo, quoniam ex singulis populus constat. Quomodo ergo quicquam corrigat populus nisi per singulos? [2])

Idem peccat, quod analogiam omnibus numeris absolutam sequi iubet populum, omnes vero singulos eandem analogiam, dum non repugnet consuetudo communis (X 74); cf. autem p. 56.

Facillime quis plura eiusdemmodi iure accusare possit. Una res autem ei vitio datur a STEINTHALIO (p. 499 sq.) quam, non nullius ad VARRONIS doctrinam existimandam momenti, nec merito reprehensam, breviter tangemus. Quod verborum similitudinem sequendam esse quoad patiatur consuetudo ARISTARCHUM defendisse dicit et defendit

---

[1]) Nisi fallor aliud quid vult ista similitudo quam putat GEORGES *Ausf. Handw.b.*[8] s. v. „auf unschädliche Weise." Nempe accusantur anomaliarum indagatores quod hic illic leviora menda *expiscentur* „ex pelago sermonis," vel potius ut delicatuli vellant pilos, quasi id naturae sit vitium.

[2]) Male autem STEINTH. p. 504: „Dreht sich hier Varro nicht wieder im Kreise? Denn wer ist die Ratio anders als nos singuli, nämlich der analogistische Grammatiker?"

ipse — meminimus autem REITZENSTEINIUM sententiam ARISTARCHI de industria a VARRONE debilitatam perhibere —, ea re analogiae iura prodens ipse se devicisse a STEINTHALIO putatur.

Quid? Illud est quod dissentiunt, de quo certant analogiae et anomaliae propugnatores, utrum oratio analogiae obtemperare debeat necne. Hi id negant, illi aiunt; his penes consuetudinem est arbitrium, ius, norma loquendi, illi rationem agnoscunt ducem; hi nil supra homines positum credunt, illi leges immutabiles, obrussam rationis putant ubique adhibendam.

Num secum pugnant sive priores, quotiens nonnullas analogias in consuetudine esse eamque ob causam sequendas confitentur (VIII 37), sive posteriores concedentes sermonem non semper et ubique rationi satisfecisse atque vitiorum partem iam corrigi non posse? Quae duo postulata alterum absolutum, alterum ad nostrum usum accommodatum, distinguere volens excogitavit VARRO (nisi vero id ab aliis didicit) frigidum illud commentum de populo et singulis.

Quodsi multa non bene composita haud negabimus, fatendum tamen videtur excelsum et magnificum exstruxisse VARRONEM aedificium, utilissime ad Latinam linguam transtulisse quae ante eum Graeci Graece disseruerant, plerisque in rebus ipsum suo consilio usum esse aut saltem posuisse quae, ab aliis prolata, ipse sibi persuasisset.

Tota indoles l VIII ineuntis, l IX, l X m.q.s. eundem VARRONEM prodit, ipsius mens ubique spirat. Denique aequius de eo eiusque ingenio tulisse iudicium videtur GOETZ [1]) quam certi *Βαρρωνομάστιγες*.

---

[1]) *Zur Würdigung* etc. p. 88, 89.

CAPUT II. DE POSTERIORIBUS GRAMMATICIS.

§ 1. Natura.

1. *Natura rerum, orationis fundamentum.*

In grammaticorum doctrina, si summam rei spectas aptissime cohaerente, multum est naturae notio. Qualis est ea natura? Quid inter eam et analogiam? Accuratiore investigatione opus est, cum praesertim auctores, ad confundenda nomina proni, non nimium laborent de distinctionibus spinosis.

Quot locis quae apud probabilioris doctrinae auctores leguntur a posterioribus, eorum quasi dictata recinentibus, repetantur enumerare necesse non habui, cum praeterea non de singulis grammaticis magis agatur quam de doctrina universorum.

Iam primum est tractanda *natura rerum*, quae una sit linguarum fundamentum, totius fere orationis sola causas continens. Redditur natura rerum loquela, fungente quodammodo vice speculi quod, quamquam haud perfectum, claram eius praebet imaginem. Etenim unde praeterea loquelae causas explicarent non habebant. Etsi de natura humana ac de sonorum natura nonnulla expromunt, in universum tamen *quam subiectivam rationem dicimus eos fefellit*, longissime profecto ab hodiernis grammaticis distantes. Quod in rebus ipsis non inventum comparet in oratione, id minus naturale videtur, velut dualis numerus ideo „a plerisque non recipitur, quia non (sit) in natura rerum hic tertius numerus" (VIII 84). En ratio specie modo naturalis!

Res et nomina.

Itaque res et nomina, rerum naturam et naturam orationis identidem conflata ac confusa offendimus [1]). Et quidem manifesto, quotiescumque commemorantur „nomina quae in rerum natura" sunt (Serv. IV 408; alii).

---

[1]) Eodem pertinet quod significatio haud raro nimium grammaticos occupat. Nominum, coniunctionum divisiones nullo ordine ad significationum categorias exiguntur. Cons. V 366 novit feminina verba „parit", „texit". Raro contraria res fit, ut significatio neglegatur, velut cum Prisc. (II 232) ridicule vocibus q. s. „liber" et „fiber" femininum affingit sc. „libra" et „fibra"!

Haud mirum quod arcte cum natura coniungitur *significatio,* quibus opponi potest vox. Ita PRISC. II 142, ubi nomina quaedam tractat „natura et significatione mobilia, non etiam voce" (pater). Item II 442; cf. II 184: „videntur casus fieri non vocis sed significationis," sc. qui proprio careant sono. Quos VARRO iam intellexerat continere *„analogias rerum"* (IX 52), sicut PRISC. II 418 integram manere statuit anomalorum significationem et cognationem temporum in verbis quale sum-ero. Unde statim apparet qua ratione natura exemplum atque fundamentum cogitandum sit analogiae.

Etymologia.

Etymologia quoque paucis est tangenda. Quippe non modo *indicantur* res nominibus — vel id servit naturae — sed *exprimuntur,* id quod *veriloquiorum* auctores tueri ac defendere student. Quod eos censuisse hac in parte eam ob causam nostra interest, quia *ipsa oratio orationis speculo reddi existimatur:* etymologia scilicet nituntur definitiones grammaticorum. Caeca fides, ipsa prava, hunc tamen novum generans errorem, ut falsis de grammatica opinionibus mentes imbuat! Pauca suffecerint exempla. *Prae*positiones ubicumque *post*ponuntur contra *naturam* collocatae creduntur (SERV. IV 419; al.) [1]; vel inde elucet, quantopere credulitas eiusmodi ad regulas infirmas statuendas valeat. *„Inaequalia",* i. e. anomala, postposita talia dicere non dubitat DONATUS (IV 391) significanti quidem nomine, quod rationes duas detegat: alteram quae intercedit inter analogiam et naturam, alteram quae *inter analogiam et syntaxin.* Cf. infra p. 74.

Quoque melius videremus quam inveteratus esset iste error, CLEDONIUS ubi in mentem ei venit praepositionis qualis „circumcirca" hisce verbis definitionem sive etymologiam sive naturam defendit: „praeponitur praepositio . . . etiam sibi ipsi" (V 75)! Eandemque ob causam certant grammatici num recte nominativus casus habeatur, quippe qui non cadat (CHAR. K. I 164; B. 195).

Fatendum autem interdum definitiones rerum et nominum distingui praeëunte Stagirita. Quid tamen prodest, si simul asseveratur: „ex nomine suo omnis creatura cognoscitur"? (VIII 63) [2].

---

[1]) Quomodo interpretandum quod PRISC. III 121 praepositionem „natura" posteriorem, „constructione" vero principalem iudicat? Confundit — quo nihil est magis solitum — ordinem partium orationis cum ordine verborum, quem exhibet sermonis contextus.

[2]) Fit quoque, ut etymologia, cum natura coniuncta, referatur ad vocabulorum *formam.* POMPEIUS prosodias ignoranti suadet: *„etymologias* intuere et sequere *naturam* rei;" „notemus illa prima verba; exinde iam cetera scimus, quae de ipsis *nascuntur."* V 106.

Eadem conexio verborum q. s. „etymologia" ac „nasci" apparet GELL. XII 13, ubi tamen de significatione agitur.

Genera nominum.

Quod de universa valet oratione, id in eam quoque partem cadit, quam praecipuam tractat ars grammaticorum: declinationes dico et accidentia partium orationis. Iis distinctionibus et formis depinguntur ipsae res, nisi quantum exceptiones rationem naturalem corrumpunt.

Multi duo tantum *genera naturalia* agnoscunt, si „veris et naturalibus nominibus utamur" (CONS. V 343) [1]). Vide quam arcte sint conexae natura rerum, etymologia, definitiones grammaticae: genus enim a generando (VARRO fr. 8. PRISC. II 141). Ergo „in illis generibus quae a natura data sunt . . . naturaliter rationem sequimur" (POMP. V 159). Quae vero naturali carent genere ea neutra esse debebant [2]) (CONS. V 343). Cum in his verbis ex natura nihil sit efficiendum „licet mihi *pro voluntate mea* quem ad modum voluero dicere" (POMP. V 159). Scilicet VARRONIS sententia „potestatis nostrae est illis rebus dare genera, quae ex natura genus non habent" (fr. 7) et hic et VIII CCVI iniuria ita intellegi videtur, quasi de *singulorum* licentia, non de libertate humana agatur. Luculenter inde apparet omnia tribui aut naturae obiectivae, pingui Minerva intellectae, aut consuetudini vel auctoritati.

Numeri.

Numeri quoque natura constant. Ea nominibus materiae singularem formam dedit, quam ob rem vituperat POMPEIUS Horatium „pulver*es*" ponentem, hisce verbis: „naturaliter ipsa res individua est . . . ergo usurpative ille posuit" (V 176).

Utrum liceat proferre „mella" atque „vina" (cum genera significantur) necne variant auctores (cf. CHAR. K. I 28; B. 28) [3]).

Hac in re quoque natura rerum omnibus omni tempore omnimodo eadem esse videtur. Varie eam recte exprimi non venit iis in mentem. De duali numero v. supra p. 57.

Casus.

Cur sex sunt casus numero? Videlicet quod homines nominant, generant (nisi genitivus dictus est qui ceteros casus ex se gignat PRISC. II 185; CONS. V 358) dant e. q. s. (VIII 193; cf. PRISC. II 185). Nempe nomen aperit naturam. Itaque haud inconsulte significationes casuum illustrantur exemplis dandi, accusandi et si qua alia sunt.

---

[1]) „Alii vero et (neutrum) naturale genus recte putant" ibid.

[2]) Cf. VIII 192; 82, 83; praeterea quae huius aetatis grammaticus docet: „The distribution of words into these three classes . . . is rational in so far as many names of male beings are of the masculine gender, many names of females being feminine, and many names of sexless things neuter" (JESPERSEN *The Philos. of Gr.*[2] 1925 p. 228).

[3]) „Scopae", „scalae" explicari posse censet POMP. V 176, rationabiles esse CONSENT. V 348 (cf. de his VARRO VIII 7, 8; de illis IX 67).

Iam vero LUCILII „dare furei" (FUN. 10[c]) nil habet, quod mireris [1]); nec erat, cur Varronianum illud „da patri familias" explicandum quis putaret, quasi a mendico dictum. Ipse casuum *ordo* naturalis creditur, quamquam non omnes id fatentur (PRISC. II 186; cf. CONS. V 351).

Genera verbi.

Verbi generibus, ut nominum, debemus uti „secundum naturam" (actuum): SERV. IV 437. Omne verbum duas tantum novit significationes „aut agentis aut patientis; aliter fieri per rerum naturam non potest" (SERG. IV 503).

Tempora.

Passim tempora grammaticae ad naturae tempora referuntur: „sunt naturaliter tria" (POMP. V 234) [2]). Notabilis sane est ea sententia, in qua *cognitionis pars subiectiva, ut ita dicam, dispici incipit:* quamquam *„naturaliter"* individuum est tempus, *iure* tamen praeteritum in tres dividimus differentias „cum in *notitiam nostram* nihil sic naturaliter a longo saeculorum spatio potest venire" (PRISC. II 405; cf. DIOM. I 335).

Ut paucis absolvamus: rogantibus unde sint omnino accidentia partium orationis quam apertissime respondetur, etsi non omnium consensu: „non ex ingenio sapientis hominis, sed in natura partium atque creaturarum sunt" (VIII CCLIII).

Deficientia.

At multa in oratione deficiunt. Ita est; sed hoc quoque naturali ratione accidere VARRO summa ope demonstrabat, quem posteriores sequuntur. Exempla, quae innumera praesto sunt, exscribere non attinet. Mirifica tamen quaedam afferantur. POMP. (V 231) nonnulla verba temporalia „naturali ratione" non declinanda credit, velut „infit", „inquam". Quaenam sit ista ratio? PRISC. II 455 ideo v. q. e. volo imperativo carere putat, quia voluntas libera debeat esse. Haud minus sollerter *An. B.* (VIII 77) „sen*issimus* dici natura fragilitatis humanae non permittit." Docent nos eiusmodi insipidae argutiae usque in postrema saecula praevaluisse eum animorum habitum, qui non nisi *integram* naturam rerum sermonisque agnosceret, perversa quam diutissime dissimulans, quippe abhorrentia a semel praesumpta doctrina. Quali superstitione capite velato adhibitoque tibicine sacrificare solent antiqui, ne quod malum omen audiatur aspiciaturve. Ceteroquin est ut quaedam fortunae casu meroque usu deficere appareat, cf. PRISC. II 369 sqq.; MACROB. V 628. *Tum scilicet contra analogiam peccatur.*

---

[1]) Quo dandi rationem tueatur, paulo contortius, ut opinor, G. SUESS (*Petronii Imitatio* 42) „malum" vel simile quid subintellegi iubet.

[2]) CLEMENS p. 71 „quinque secundum naturam."

Cf. PRISC. II 166: „quamvis „hoc victrix" non memini me legisse, etsi analogia declinationis exigat".

Ordo.

Persaepe *ordinis* mentio inicitur, id quod quodammodo concordat cum Romanorum insita potestatis maioris reverentia [1]), imprimis tamen proficiscitur ex ea doctrina, quae orationem ab humana licentia quam longissime potest segregans certis et quasi divinis legibus astringat.

Sensu generali ordinatio est proprium officium orationis, quae confusioni quam maxime inimica definitur hisce verbis „per dictiones *ordinata* pronuntiatio" (DOS. VII 389).

Quod autem „*analogia* sermonis . . . ordinatio est neque aliter barbaram linguam ab erudita quam argentum a plumbo dissociat" (VARRO fr. 115), id ostendit analogiam et esse verum decus quasique cor doctioris cuiusque linguae et a totius orationis doctrina non esse seiungendam.

Iamiam tamen agendum de ordine, quae est *consequentia* partium orationis et accidentium. *Elementorum* ordinem (qui idem est coniugationum) praetermittemus, cum ad *sonorum* neque rerum naturam referatur.

Verum discrepat inter grammaticos *utrum nomen praeponatur verbo an nomini verbum.* En quaestio disceptatione digna, si modo eius vis esset perspecta! Qui cum PRISCIANO (III 116) principatum nomini attribuunt astipulantur EUTYCHI eius discipulo: „nemoque dubitat, quod priora prorsus a verbis sunt nomina, in quibus naturaliter substantia nominis antecedit actum qui spectatur in verbis" (V 461) [2]).

Altera pars verbum principale existimare videtur et propter eius *nomen,* quasi sit verbum *κατ' ἐξοχήν* (CLED. V 53) [3]), et propter maiorem quae creditur *utilitatem* (POMP. V 97) vel *ubertatem* analogiarum formarumque (POMP. V 212; cf. porro TER. M. VIII 134 et alios VIII XXVII, 150, 205).

Ea fere sunt quae utrimque afferuntur. Attendamus autem ab antiquis rationem metaphysicam tantum pro nomine exerceri, cum verbi auctoritas defendatur argumentis e grammatica sumptis, adeo ut ipse

[1]) Cf. O. WEISE, *Charakt. d. l. Spr.* § 24.

[2]) Cf. AMMONIUM ad ARIST. *de interpr.* p. 102. 34 apud STEINTH. *Gesch. d. Sprachw.* 591 sq. Christianitas hic quoque saecularem philosophiam sequitur nullis propriis, e *Sacro Codice* sumptis, rationibus usa. Cur nomen praecedat hoc modo VIII 63 docet: „quia fieri non potest, ut sciatur ulla res, nisi prius *nomen* fuerit, quia ex *nomine* suo omnis creatura agnoscitur." Non attinet indicare qua re haec ratiocinatio maxime claudicet! Praeterea de Adamo nomina imponente alia hic scire scriptor debuit.

[3]) Mirum in modum eodem etymologiae argumento ducitur DE BONALD, *Recherches philos.* I ch. II p. 84: „verbe, parole par excellence, puisque les Grecs et les Latins ont donné son nom à la parole même!"

POMP. naturaliter nomen prius esse concedat (V 97). Mirabundus rogat STEINTHAL (o. l. 592): „Wer in dieser späteren Zeit... hätte wohl so viel Speculation gehabt, um die Dinge aus einer heraklitischen Bewegung, einer aristotelischen Entelechie abzuleiten und das Verbum als Ausdruck der letzteren vor die Namen der Dinge zu stellen?" In nostra tempora id reservatum est et nescio quomodo vel ea una re apparet, quam toto coelo distet hoc saeculum ab illo [1]).

Cetera paucis perlustremus. *Singularis* est *naturaliter* primus numerorum (PRISC. II 423). In *casibus* ordo naturalis (V 350) forsitan ex parte e natura sermonis ducatur magis quam ex natura rerum, quae tamen concurrere possunt.

Quod nominativus „primus natura nascitur" (PRISC. II 185) „et ab eo facta flexione nascuntur obliqui casus" (ib.) id, nisi fallor, ad utramque naturam referendum est. Genetivi nomen locusque secundus modo coniungitur cum natura sermonis (generat... omnes obliquos sequentes PRISC. II 186; CONS. V 358) modo cum natura hominum qui generant (VIII 193).

Praeterea naturalem ordinem praescribit quod dativus magis ad amicos attineat, accusativus ad inimicos, si eundem audimus PRISCIANUM (l. l.). Vocativus imperfectior casus et ablativus a Romanis inventus quinto sextoque loco collocati videntur propter causas, quae ad formam magis pertinent.

Transeamus ad *verba*. Haud semel naturalis ordo hic commemoratur: meditativa, inchoativa, perfecta, frequentativa. Etenim „idem est formis ordo, qui in actibus" (SERG. IV 505). O diligentiam insipidam! Spreto tamen hoc ordine „EUTEX" perfecta *ultima* collocans excusationem habet „quia perfectio sit finis rerum existentium" (VIII 7). Rursus DONAT., qui *prima* ea posuit similibus praestigiis defenditur, quippe „sequens naturam perfectam"; „Deus enim omnia perfecta facit" VIII 208. Christianae doctrinae satisfecisse sibi videntur horum temporum eruditi, si antiquas sententias nomine Omnipotentis et aura quadam Christiana ornaverunt, sicuti saepe sub imaginibus Petri et Mariae latuerunt Iuppiter Isisque. *Temporum* ordinem explicat natura temporis (*Ex. Bob.* V 635). *Modos* ceteros antecedit regulasque eis im-

[1]) L. NOIRÉ, *Der Ursprung der Sprache*, 1877 (p. 106, 384) HUMBOLDTII sententiam de praeferendo verbo comprobans illustrat celeberrimo versu „Im Anfang war die *That*", quae verba pro religione Christiana *pantheismum*, quem dicimus, spirant, Heracliti doctrinam. Eodem pertinet quod hodie (πάντα ῥεῖ) *substantiae* pretium retro abiit, quasi mera fictio (JESPERSEN *Philosophy*² 75). Rationem quae *dynamica* vocatur ubique staticae rationi anteponi incipere in philosophia, in eloquentia, in re publica quis ignorat? Cf. utilissimum libellum FRID. SCHÜRR, *Sprachwissenschaft und Zeitgeist*, 1925.

ponit indicativus „et quia prima positio verbi, quae videtur ab ipsa natura esse prolata ... in hoc est modo ... et quia substantiam sive essentiam rei significat" (PRISC. II 422).

Memorabilis locus, qui indicativum primo ponat loco propter naturam rerum, propter naturam eam, quae sermonem procreat, propterque naturam ipsius indicativi, quae omnia quamvis discernenda non divellenda sunt. Satis mirandae hae rationes: optativus iure imperativum sequitur, quod qui optat minor est iubente (PRISC. II 424), vel audiamus MACROB. (V 611 sq.) asseverantem ideo bene declinationem a prima persona inchoare, „quod prima de tertia ad secundam loquitur." Quam primam personam PRISC. (II 423) causam dicit secundae ac tertiae, causativarum [1]). Duae res adiciendae videntur:

1. *Ut quidque prius est ordine, ita praestantius aestimatur:* „excellentius primitivum quam dirivativum;" „indicativus quam infinitivus modus (est) excellentior" (VIII 10; 18). [2])

2. *Ab ordine partium orationis, quem exhibet grammatica, distinguendus est, qui in verborum contextu invenitur.* Ubi alter ab altero discedit, notant id grammatici ut mirandum: PRISC. III 121 „(praepositio) natura quidem posterior est, constructione vero principalis;" ubi annotandum h.l. naturam non spectare etymologiam verum vim, quapropter nulla est discrepantia, si alibi dicitur praepositio „natura" antecedere (cf. supra pg. 58). VIRG. M. (VIII 134): „Cur autem pronomen verbum praecedit, cum verbum omnium partium egregium sit e. q. s." (cf. [SERG.] IV 499).

Simile quiddam de *litteris* legitur VIII 225: „litterae in alfabeto non sunt secundum ordinem, quia r post s nisi interposita t nihil sonat, sicut tonsor „tonsrix" debuisset facere, sed „tonstrix" facit. Sunt ergo secundum placitum eorum, qui eas reppererunt" (cf. infra p. 129 sq.). Eiusdem generis sunt quae legimus in VARRONIS fr. 84 G.-SCH. = [SERG.] IV 532: „Ordo in accentibus non adtenditur ... non tamen setius est aliquis prior natura quam alius", quibus verbis recte addunt G.-SCH. quae KEIL cum sequentibus coniungit, „non secus atque in litteris [s]evenit."

2. *Natura loquelae auctor.*

Simul natura, quamquam alia ratione, orationem procreasse vel dedisse dicitur. Nempe est „vis gignendi dicta quod aliquid *nasci*

[1]) Errat GEORGES *Handwörterb.*[8] s. v. nomen hoc in primam transferens personam.

[2]) Ridiculas ineptias hac de re legimus apud SEDULIUM (VIII 31): „servata ... nominis *dignitate* ut ipsum magis sit fons verborum primae coniugationis quam ex ipsa (sc. prima coniug.) pullulatio."

faciat" VIII 13. DIOM. (I 300) rationabiliter orationem agitari docet a natura datam, quae natura non est confundenda cum ea, de qua VARRONIS fr. 115 agit. (Cf. DIOM. I 439)

Eundem in modum PRISC. II 375. Derivationes quoque, ut quae „nascantur", natura procreari ostendit EUT. V 451: „itaque sciendum est quod, sicut rerum, quaequae sint, sic etiam ubertati vocum studens natura tam verba de nominibus quam de verbis nomina procreavit." Notabilis locus eandem esse declarans naturam rerum et naturam loquelae auctorem!

VARRO IX 30 exposuerat necessitudine naturali analogias habere orationem, ut ab octava parte animae prolatam. Praetera *corpus* esse vocem et „tris habere distantias" (fr. 76). Quod alterum alibi quoque legitur (cf. PRISC. II 6). Haud mirum, quod vox ea, ipsius naturae *pars,* certis paret regulis. Mirabilem *naturae* legem sonos regentem commemorat PRISC. II 20.

Erres tamen, nisi fallor, si tibi fingas praeclaro illo naturae dono divinam arcanamque orationi originem vindicari. Etenim quae pars est rationabilis sermonis, imprimis omnis declinatio, latissimo sensu accepta, ex arte humana fluxisse nihiloque minus a natura procreata dicitur (cf. supra). An ipsam materiam orationis ratione carentem (POMP. V 241) hominibus datam, inspiratam esse credamus? Haud fide dignum qui semper *inventionis* nomen in ore habeant, qui excogitatas credant declinationes, eos non et ipsam „*positionem*" humanum inventum existimasse. Quapropter SERG. IV 488: „Cum maiores nostri viderent rerum naturam et nescirent, quem ad modum appellarent, constituerunt sibi nomina, quibus diversa appellarent e.q.s.". Is quoque, cuius summa est auctoritas, VARRONEM dico, impositionem humanam intellexit. Denique multum absumus ab iis temporibus et ingeniis, quae mystica quadam ratione haec tractaverunt. Neque unquam de origine loquelae certatur utrum sit divina an humana, quae apud recentiores acerrima fuit contentio.

Inspirationem tamen commemorat ASPER VIII 47: „Fides ... pluralem numerum non habet, quod credo divinitus inspiratum, ut quod una est, quae credi debeat et teneri, et in ratione Latinitatis singulariter diceretur." Satis ea verba declarant *ad tempus* inspirationem auxilio esse arcessitam. Homo Christianus, Stoicorum fere more (supra p. 26) Deum pro natura substituisse contentus (VIII 253: „natura enim i. deus"), *homines* sermonem fingentes facit; tantummodo quibus antea natura „dux fuit ad vocabula imponenda" (VARRO VI 3), eos nunc inspirat Deus [1]). Et quidem sic, ut Latinitas ex se nata putetur,

[1]) Similes sententias de homine cum Dei auxilio orationem inveniente pro-

qui quidem error gentilibus ignosci potest, Christianis est imputandus.

Apertius uberiusque de divina opera disserit SEDULIUS (VIII 26), cuius ratiocinationem paulo longiorem totam referri opus sit. Ita commentatur EUTYCHIS verba q. s. „artis subtilitatem mirabitur": „dubium est, cuius artis subtilitatem nuncupat; hoc est, utrum humanae an divinae artis subtilitatem in hac sententia describit. Sed si humanae artis subtilitatem dixit, suae artis sagacitatem his verbis intimat. Honeste enim subtilitatem humanae nec suae propriae artis esse testatur, ne arroganter de se loqui videretur ... Sin vero divinae artis subtilitatem his verbis insinuat, ad ideas hoc est aeternas et incommutabiles rationes, quae sunt in arte divina, secundum quas non solum nomina et verba, tam primitiva quam dirivativa, sed et omnes creaturae formatae sunt, nos speculandas atque ammirandas provocat, quatenus intellegamus quam mirabiliter ars divina tam verba de nominibus quam de verbis nomina per humanam loquellam procreavit. Conditor namque linguarum nihil inrationabiliter in vocibus articulatis tam primitivis quam dirivativis, sed omnia copiosa ratione scintillantia formavit."

Statim nos advertit, quod SEDULIUS hominibus indoctis neglectis duas tantum artes dinoscens, *grammaticorum* et *divinam*, quae ut omnes creaturas sic et primitiva verba et derivativa procreavit *omnium* linguarum, quod igitur hominibus nec in oratione condenda nec in excolenda quicquam relinquit, vel humanam operam divinamque prorsus inter se conflat. Si quis hanc *originem divinam* nuncupare velit, esto; verum quia derivatio eidem Deo tribuitur, a trita doctrina haec non longe distant. Annon recte, *hoc* loco nixus, HAGEN dubitet (VIII LXXIX) sitne SEDULIUS grammaticus idem atque auctor libelli *„De Rectoribus Christianis"*, quod hac in re (et pg. 13) de fide Christiana loqui debuerit homo sacrorum librorum peritus, haud scio, cum soleant grammatici religionem Christianam profitentes doctrinam Paganorum nil nisi specie fucare Christiana. SEDULIUS autem, quisquis fuit, eodem modo fuisse mihi *Neoplatonicus* videtur atque alius quidam grammaticus, quem constat theologica quoque scripsisse opera, MAR. VICTORINUM dico [1]).

3. *Natura arti opposita.*

Angustiore sensu natura primordia tantum orationis finxisse dicitur sive materiam, quam homines arte formarent, excolerent, perpolirent, declinationibus distinguerent. CHAR. (K. I 50, B. 62), PRISC. (II 421,

tulerunt recentiores quidam Catholici, qui vocantur, scriptores: A. GIESSWEIN, *Die Hauptprobleme der Sprachwissenschaft* (1892) p. 208 sqq., L. GAUTIER, *Essai d'une théorie catholique de l'Origine du Langage*, 1858.

[1]) Cf. SCHANZ *Gesch. d. Röm. Litt.* IV 1² 150.

427), SERV. (IV 429) alii diserte docent *primam* originem verba trahere a natura, quin etiam PRISC. (II 421) „ab *ipsa* natura."

Id quomodo intellegamus? Declinationes ipsi perpetuo quasi novas refingimus, paucis usi regulis artis (cf. VARRO VIII 6) ipsi nova verba derivamus componimus, cum contra vetustas positionis propemodum immutabilis per saeculorum seriem memoriam nostram et maiorum superet.

Ita verba „sicut *nata* sunt" (CHAR. K. I 154; B. 196) vel „primigenia" (SERV. IV 429) opponuntur sive derivativis, sive compositis (POMP. V 169). Alibi (VIII 85) simplicitas natural*ior* dicitur [1]), quem ad modum POMP. (V 241) agit de adverbiis „quae naturaliter *a se* nata sunt" [2]) quamquam, ut ipsius verbo utar, „inventa"; nec mirum, quoniam derivata saepe „nasci" feruntur. Ex eodem fonte manat notissima „naturalis positio".

Hanc spectat naturam SERG. (IV 506) dicens: „quod ergo fervere corripuit VERGILIUS pathos est propter metrum, non *natura*". Ne putaveris syllabam „natura longam" indicari! PLINIUS eadem voce utitur, ut *barbarismum* definiat, quo significetur „quod non dicitur per naturam" sicut mamor pro marmor, columa pro columna (cf. V 283) [3]). Cf. hac de re infra p. 122 sq.

Quamvis ratione careat origo prima (POMP. V 241) [4]) ita non contemnitur natura, ut uno et altero loco humanae arti propemodum anteponi videatur. Velut VI 451 MAR. PLOT. SAC. scribit: „soloecismus latinus est sermo perversus, barbarismus vero nullam latini sermonis continet rationem", sine dubio quod qui barbarismum admittat „naturae ipsius constitutione convincitur" (VARRO fr. 115).

Iam VARRO sibi persuaserat aliquam tamen rationem impositioni inesse (v. supra p. 28 sq.) neque posteriores quidem ea praeteriit.

[1]) Melius sic distinxeris: oratio omnis est *naturalis, nativa* est positio. Sic francogallice „naturel" et „natif"; cf. DE BONALD, *Rech. philos.* 89: „c'est le natif qui est opposé à l'art, et non le naturel."

Rhetorica quoque — nec solum apud veteres! — documento est qualem faciat turbam v. q. e. „*naturalis*" indiligenter perspecta. Refutat QUINTIL. IX 4. 3 sqq. perversum iudicium eorum, qui „id demum naturale esse dicunt quod a natura primum ortum est et quale ante cultum fuit", ipse existimans id „maxime naturale, quod fieri natura optime patitur". Similis discrepantia distinet φύσιν Stoicorum et Epicureorum. Attamen non recte duplicem naturam distinguunt, alteram artis regulas ignorantem, alteram doctrina imbutam. Et in priore natura ars quaedam interior obscuraque delitescere potest; cf. QUINT. IX 4. 120 et CHARISII locus infra tractandus.

[2]) Cf. PRISC. II 185: „(nominativus) natura nascitur".

[3]) Natura adicienda videtur iis Latinitatis regulis, quas BARWICK (*R. P.* 206) PLINIO adiudicat.

[4]) Cf. tamen infra p. 75 sq.

Nonnulli utique accentus, syllabas exitusque verborum perscrutantes copiose demonstraverunt iis quoque legibus astrictam esse naturam. Cf. infra p. 130 sq.

Pauca de CHAR. K. I 50, 51; B. 61, 62, loco intricatiore, subiciamus. Haec fere mihi sentire ac dicere videtur: sicut unaquaeque *ars* [1]) ita et sermo Latinus prima inventione non absolutus adsidue corrigitur emendaturque: „cum ipso homine [2]) civitatis suae natus" rudibus istis indoctisque sufficiens postea vetustam licentiam rationi eruditorumque regulis gratificatus est. Quae quidem ratio, *sensu generaliore* tam vetusta est atque ipsa oratio — quoniam quae nos cogitationibus coniunximus divisimusve ea in sermone sive disparat sive conectit — adeo, ut hodie „nihil de suo analogia inferat", utpote quae eius sit species. Tanto praestantiorem autem reddit linguam doctam quam barbara est analogia quantum cedit argento plumbum.

Hic difficilis sane quaestio poni possit. Quomodo antiquissimi illi non declinatis utebantur verbis? Finxerit sibi CHARISIUS re vera barbaros homines non cognitas habuisse declinationes? At e VARRONE meliora potuit discere (VIII 3).

An erat forte inde ab initio quaedam clauda, inaequalis, deficiens, semperque perficienda, quam posteriorum observationes non invenerunt sed ornaverunt? [3]) At sine analogia declinatio est nulla.

---

[1]) Ipsa natura, analogiae expers, quodammodo ars vocari potest, ut quae naturae rerum opponatur (cf. init. cap. XV).

[2]) Satis temere KROLL coniecit: „nomine" (*Stud. zum Verst. der Röm. Lit.* Stuttgart 1924, 88 5). Quid sibi nomen illud velit? Cf. autem CIC. *De Orat.* III 149: „quae propria sunt et certa quasi vocabula rerum, *paene una nata cum rebus ipsis* e. q. s."

[3]) BARWICK postquam p. 183 recte adnotavit: „Damit (sc. mit natura) ist die gegebene Form der Sprache gemeint" p. 214 USENERO concedit nil esse naturam nisi ἐτυμολογίαν. Falso! Neque eum sequor (*R. P.* 183 sq.) asserentem quodammodo eiusdem rei partes esse et naturam et analogiam, cum haec inde ab initio sermonem ornans ab hominibus *observantibus* sit investigata; etenim ratione ea miscentur quae CHARIS. dilucide inter se opposuit. Quomodo licentiam dicere potest quae tantum non perfectam exhibet analogiam? Porro DIOM. I 324 satis similibus verbis usus de duali numero *invecto* disserit („observationibus captus ... inrepsit"), unde effici posse videtur et CHARISII verba spectare ad analogiam efficiendam. Postremo, si aequalis esset constantia orationi, non minus artificio humano eam attribueremus. Cur ergo solos artifices dicamus qui regulas *aperuerunt?* An *sponte sua* est orta analogia? Ea est sententia QUINTILIANI, qui tamen eius leges a CHARISIO laudibus elatas respuit. Quod praefatio eiusdem (p. 1) analogiam ab ratione disiungat, id pertineat ad speciem et genus. SUESS quoque ni fallor hac in parte non mediocriter fallitur USENERI famosam interpretationem hoc modo elaborans atque illustrans: „*Scrimbo* qui *dicit, convincitur* ... non fortuito usu, sed memoria orationis ab alio ad alium integra tradita atque φύσει tanquam sine ulla lege analogiae cum aliis eiusdem

Qui ergo lingua barbara cum plumbo comparari potest?

Itaque quod hoc molestum sit quodque v.q.e. natura, analogiae opposita, in memoriam revocat v.q.s. „cum ipso homine civitatis suae *natus*" — etenim pervulgato more haec duo vocabula coniungi licet — sic statuimus dedisse naturam (i. e. priscos illos homines invenisse) nil nisi verba singula soluta, ordinis analogiae cognationis expertia, quae aliquanto post analogia digessit, ordinavit, declinavit [1]). Quas duas inventiones VARRO (VIII 3 sqq.) concurrentes facit. Ea porro est causa, cur ibi in *omnium* sermonibus declinationes oriri velit, cum fr. 115 et CHARISIUS barbaris linguis omnem humanitatis elegantiam detrahat [2]), quam eandem fere sententiam offendimus *Exc. Bob.* V 631.

4. *Natura orationis.*

Quodsi oratio est opus naturae, nullius admirationem movebunt loci frequentes, qui nascendi rationem, vitam, naturam ei impertiunt. Quod per se non nimii momenti nominasse satis videri posset, nisi plures causae paululum subsistere suaderent. Etenim philosophiae hoc nonnihil interesse ostendunt recentiores grammatici, qui alii gaudent imaginibus *physicis* [3]) (Romantici praesertim, quos sequuntur multi psy-

---

radicis vocibus connexa." (*Petronii Imitatio* 58). Natura nihil omnino significat nisi orationis solidam atque immutabilem materiam; quid enim, si qua ad etymologiam revocari nequeunt? An illa ad naturam nihil pertinent? Addit SUESS (59): „... huic subest disputationi opinio illa, quasi quae fuerunt ab initio pura atque naturae ipsius dote emendata, postea saeculorum damno barbarorumque in civitatem irrepentium vitio sint detorta." At tota huius loci ratio ostendit econtra posteriorum sagacitatem multum in expolienda oratione valuisse. Neque antiquam sermonis integritatem depravare *potuerunt* seriores, quia natura ista „inmutabilis est".

Denique BARW. 184 1: „Denn die *natura* — inquit — ist bisweilen *inconstans;* vgl. CHAR. 56. 15 und 50. 19". Neuter tamen locus ad hanc naturam revocandus videtur; 56 (B. 70) naturam, analogiam, auctoritatem habet, consuetudinem vero non habet, i. e. consuetudo latet sub naturae nomine. Et (B 62) „paucis admodum partibus orationis normae suae dissentientibus" ad *analogiam* spectat, quam artifices invexerunt in sermonem, quod commendatur DIOMEDIS loco I 307, ubi eadem fere verba de *declinatione* leguntur.

[1]) Cf. incertum auctorem apud REITZ. *Varro* p. 89: „*πρότερον γὰρ εὑρηνται τοῖς ἀνθρώποις αἱ λέξεις διὰ τὴν ἀνάγκην τῆς πρὸς ἀλλήλους ὁμιλίας ὕστερον δὲ ἐπιγενομένη ἡ τέχνη τὰ μὲν ἠδυνήθη ῥυθμίσαι καὶ εἰς εἰκόνα τινὰ ἀγαγεῖν, τὰ δὲ μὴ δυνηθεῖσα εἴασεν ἐφ' ἧς εἶχον συνηθείας.*"

Comparat REITZ. QUINTIL. I 6. 16 („Analogia ... inventa est, postquam loquebantur e. q. s."). Hic tamen, si quid video, non sumit priorem arte carentem aetatem, cui deinde successerit *τέχνη*.

[2]) K. I 160; B 204 CHARIS. aequius de barbaris linguis iudicare videtur.

[3]) De hac voce v. V 325.

chologicam colentes rationem), alii (imprimis qui doctrinae sociologicae se dediderunt) amant *similitudines mechanicas.*

Deinde ab antiquis imagines e natura eque arte sumptae identidem implexae [1]) promiscue usurpantur. Tum naturae notione semel in historiam linguarum admissa irrepserunt in antiquam grammaticam (quae a talibus abhorrebat) *sonorum leges* et *anomaliae analogia,* si dicere fas est. Denique qui derivativa „nata" et „procreata" putat, quo modo *rationem* naturalem iis detrahat?

E magna copia pauca exempla eligemus. Verba quae suae sunt *positionis* [2]) eadem „a se *nascuntur*" (CHAR. K. I 180, 181; B 233). „*Facticia* dicuntur, quod non ex se sed ex aliis *nascuntur*" (CHAR. K. I 59; B. 73). Qui nova verba fingunt homines „*parturire*" et „*generare*" aliquoties dicuntur (DIOM. I 400; V 325; QUINT. VIII 6, 32). „*Nascuntur derivativa*" (DIOM. I 323); „. . . *artis* subtilitatem mirabitur; quae . . . *progenuit* nomina" (EUT. V 460; cf. SEDUL. VIII 13); „. . . natura . . . verba de nominibus . . . *procreavit*" (EUT. V 451), quippe est „*artifex* natura". (GELL. 12. 1.)

Iam VARRO talibus utebatur similitudinibus (V 13; VI 1; VI 37; VII 4) neque tamen perspexit, quid inde sequeretur, ut derivatio ista naturalis naturae quoque legibus obtemperaret. Quod non praetervidentes posteriores eruditi analogiae imperii finibus propagatis, compluribus positis regulis derivationem crimine licentiae corruptae absolverunt.

Cognatio.

Est quaedam „cognatio" *verborum* (PRISC. II 263), quam VARRO docet respondere cognationi rerum (VIII 3, 4). Est „affinitas" vel „cognatio" [3]) *temporum* et quae sunt in rerum natura et quae grammatica vocat. Nempe in anomalis (sum-ero) durat cognatio, quae alibi ad formationem temporum refertur (PRISC. II 405; 414; 416, sqq.).

Cognationi, secus intellectae, tribuuntur si quae *permutari* possunt. V. infra; porro VIII CXCIV [4]). Suam habent cognationem *elementa,* duplici modo acceptam:

1. „proprie sunt cognatae, quae simili figuratione oris dicuntur" (MAR. VICT. VI 18), quae „cognatio" *physica* — attendatur etymolo-

---

[1]) Cf. HUMBOLDT *Versch. des menschl. Sprachb.* 194: „(Die eigentlichen Grammatiker) *legen die letzte Hand* an die Vollendung des *Organismus.*"

[2]) De ea positione GEORGES *Handwörterb.*[8] satis insufficienter: „die Form."

[3]) Idem haec valent, ut opinor; cf. TER. Sc. VII 65; DOS. VII 384 (p litterae b „propinqua").

[4]) Quo modo significatio altera in alteram transeat discas e PRISC. III 228: „nec mirum infinita quae *cognationem* habent ad omnes modos, *pro quibusdam* eorum *poni*".

gia! — concedit, immo imperat, ut scribatur „combibit, comfundit" (ib.).

2. Necnon cognatae dicuntur eae litterae, quae inter se commutantur, velut balbi pro r littera nonnunquam l vel s substituunt; velut vocales quaedam „inter se mutuis vicibus in declinatione funguntur, ut ago egi"; velut antiquorum „lases" postea „lares" vocantur (TER. SC. VII 13) [1]. Mirificum est videre ut eadem cognationis vox tria diversissima explanet:

declinationis regulam [2];
mutationes quas affert historia;
quae quis peccat oris vitio.

Ita inventae *sonorum leges* — sicut „contra rationem naturae" metri *„necessitas"* dicitur metri *„lex"* MAR. VICT. 38 — ut aiunt hodierni, necdum vere leges, sed potius *iura:* NISO „benificus" scribenti, collata v.q.e. „malificus" hisce verbis adversatur VEL. L. VII 76: „non enim si hae duae litterae, e et i, per *ius adfinitatis* recipiunt immutationem, ideo *necesse* est illas utique semper immutari" [3].

Nihilominus, quamvis antiqui sapienter temperent, ratione physica constanter et fortiter adhibita consequens est, ut explicationem passa vitia — quam quae non patiuntur? — vix iam quae vitia compellentur digna sint [4]. Nisi qua norma superest, quae sonorum et omnino naturae „legibus" oboediri vetare possit, ut est norma consuetudinis auctoritatisque. Sed cum antiqui rationem semper extollentes — quae versatur etiam in mutationibus et anomalis! — premerent consuetudinem quasi tyrannum, semel repertis „legibus" ac causis historiae vix satis firmum praesidium retinebant, quo linguam a corruptione vindicarent, *quod ad doctrinam attinet.* Non tamen sensisse videntur quas sibi difficultates obiecissent, neque explicationes naturales vitiorum frequenter admiserunt [5]. Quod posteris, imprimis *τοῖς Νεογραμματικοῖς* est reservatum. Saeculi XIX demum doctores quae prius „analogia falsa" sive „fallax" (COBET) audiebat, eam epitheto molesto omisso breviter et honorifice „analogiam" vocantes funditus doctrinam pristinam perverterunt [6]. Vel ea res documento sit, quam penitus

[1]) Alii *consortium* hoc vocant (CHAR. K. I 193; B 250) vel *commercium* (DIOM. I 383). PR. II 20, 33: *cognatio.*

[2]) Cf. PRISC. II 25.

[3]) Cf. PRISC. II 22.

[4]) Nonne comprobavit Scipio „rederguere" pro „redarguere", „pertisum" pro „pertaesum"?

[5]) Raro commutationes *sermonis cotidiani* afferuntur, quibus historiae „leges" indagentur. Cf. tamen VEL. L. VII 69 (et VARRO V 6).

[6]) Id non satis perspexisse puto GUILIELMUM KROLL (*Stud.* 100), qui postquam de novis atque iis *arbitrariis* poëtarum verbis dixit, ita pergit: „... die

grammatica sit mutata [1]). Quodsi in utilissimo commentario, qui inscribitur *„Zur Kritik der neuesten Sprachforschung"* [2]), oppugnator *τῶν Νεογραμματικῶν* G. CURTIUS vult analogiae nomen „durch eine eigenthümliche Laune des Zufalls eine seinem antiken Gebrauche geradezu entgegengesetzte Geltung" accepisse, fortunae casu id esse factum liquido negaverim.

Natura.

Suam habet naturam oratio eiusque partes. Licet *orationis* naturam plerumque a rebus discernere praetermittant antiqui, rationis subiectivae immemores, est tamen, ut distinguant: PRISC. II 201 mentionem facit „naturae" Punici sermonis, quem duo tantum genera insigniant [3]). Ceteroquin *vocabuli* alicuius natura est *significatio* [4]). Non habent futurum aliquot verba „quoniam haec totam sui naturam ex his quae aguntur aut acta sunt sumunt" (CONS. V 378). Sunt „quae naturaliter ad mares pertinent" (PRISC. II 556).

Tamen fieri potest, ut natura idem valeat atque *forma*, adeoque contrarium fiat rationis sive intellectus. Ita v. q. e. „grandiusculus" naturaliter et sono diminutivum, intellectu et ratione comparativum vocatur a POMPEIO (V 154). Simile, non par, quod alibi (DOS. VII 392) „positione singularia intellectu pluralia" commemorantur [5]). Quomodo ea oppositio nascatur ex VARRONE (VIII 7) deprehendere facile est negotium. Similiter forma indicatur MACROB. V 619, TER. Sc. VII 20.

Denique et ad significationem et ad formam referemus naturam VIII 135 „uniuscuiusque partis natura per sua accidentia rationabiliter agnoscitur et intellegitur"; quae quoniam accidentia e creaturarum rursus natura ducta sunt (VIII CCLIII), aptissime cuncta cohaerent: res, significationes, formae [6]).

Saepe *syllaba natura* longa brevisve dicitur atque opponitur naturae

alten Dichter nutzten in Verlegenheitsfällen die ihnen durch die *Analogie* gebotenen Möglichkeiten unbedenklich aus e. q. s." Verum enimvero si quis „naar analogie" alterius cuiusdam vocis quid innovavit, id tum demum *ἀναλόγως* est dictum, si regulae generaliori oboedit.

[1]) Negat W. WUNDT (*Die Sprache* I[4] 461) „die sogenannten falschen Analogien" vitia esse sermonis.

[2]) Leipz. 1885, p. 33 sqq.; cf. DELBRÜCK, *Einl. i. d. Stud. d. Indog. Spr.*[6] 189. JESPERSEN *Language*[2] 1923, 94: „His (Curtii) opponents contended that the name of „„false analogy"" was wrong and misleading: the analogy itself was perfect and was handled with unerring instinct in each case".

[3]) Cf. supra pg. 60, ubi eundem PRISCIANUM apparet obiectivam rationem omittere.

[4]) Cf. supra pg. 58.

[5]) Cf. QUINT. 1 4. 24, ubi GEORGES *Handwörterb.*[8] s. v. positio indiligenter vertit „die Endung".

[6]) Aliud exempl. apud QUINT. IX 3. 7.

positio, i. e., si coniecturae nobili fides est habenda, *θέσις* sive poëtarum pactum. Alii certe sensus eo influxerunt, quod MAR. VICT. (VI 35) declarat: positio, id est duarum consonantium copulatio; rursus alius apud POMP. (V 107), qui diserte naturam eam ad *nascendi* rationem et etymologiam referat; SERV. IV 423 autem naturam istam inflexionibus opponit, quomodo fecerat VARRO.

Mirum quantum verborum significationes versicolores convertuntur! VARRONIS (fr. 115) natura hanc complectitur et positionem et naturam, alteri rursus positioni, inventioni scilicet verborum, propemodum exaequata. Quid valent apud PROB. IV 222 „syllabae naturales", quarum vim monstrare difficile sit? Aut ego fallor aut eas dicit, quae natura sive longae sive breves sunt. Quodsi naturam h. l. declinationi opposuisset, quomodo potuisset addere: „*tamen* de postremis syllabis regulariter disputabo"?

Relinquitur *natura litterarum*. Hic deprehendas licet quandam discrepantiam ad ea facientem, quae in „cognatione litterarum" absona offendimus (v. supra p. 69 sq.) [1]). Tractat PRISC. II 369 sqq. voces quasdam deficientes *naturae necessitate*, quas proferri vetat ut „incongru(a) naturae literarum", velut „cursrix", quamvis secundum analogiam talia probanda sint. Similis necessitas naturalis arcet absurda cogitatu quale „nuptus". Unde apparet eadem naturae specie ornari nec satis certis separari finibus:

1. *leges normativas*, quas sanxit *logica* et
2. *sonorum „commoditatem"* sive „consonantiam" elementorum [2]).

Quam si sententiam de *necessitate* sonorum, late patentem, usque ad finem persequaris, pervenias hac quoque via ad *„leges sonorum"* a recentioribus inventas — sive est dicendum commentas. Concedo multum interesse inter PRISCIANUM euphoniae rationem habentem et *τοὺς Νεογραμματικούς*, qui ex historia leges suas mutuentur. Sed quid impediat, quominus PRISCIANUS et anomalias naturaliter esse natas vincere conetur? [3]) Tum iacent rationis leges normativae.

---

[1]) Iam VARRO iuxta naturam usumque rerum *vocis naturam*, ut in nominibus litterarum, impedimento esse nonnumquam perspexit, quominus analogia staret (IX 37), sed nihil ille de litterarum legibus, quod sciam, nisi pauca de causis modisque quibus litterarum commutationes sint factae (V 6). Tamen ea quoque interpretanda sunt e Stoicorum disciplina, naturae orationisque leges exaequantium vel certe comparantium (Cf. BARWICK *R. P.* 98, 99).

Porro IX 76 agit de verbis quae „difficulter efferuntur ore" proptereaque mutantur.

[2]) *„Ratio naturalis"* modo est rerum, quam sequamur oportet, modo refertur ad id quod sponte nascitur in sonis (Serv. IV 412; 426), quae est eiusdem generis ambiguitas.

[3]) Ubi animadvertit n litteram in r abire posse: „hanc autem mutationem

Neque id temere a me fingi ostendit VIII 77: „euphoniae ratio *inaequalitatem deposcit*". Ipse PRISC. medio itinere subsistit iuxta necessitatem naturalem *fortunae casum* ponens, qiu, nisi talibus abstineatur, „inconcinna" et „aspera prolatu" interdum pariat. Ex eo genere sit „nutritrix", pro qua voce „nutrix" dici soleat. Male hoc quidem. Quid tandem distat haec asperitas ab illa incommoditate? Quodammodo *omnia* talia et fortunae casu fiunt absona et natura litterarum. Aut nihil obtrudendum fuit fortunae aut cuncta. Praeterea a deficientibus ad anomala delapsus est grammaticus. Tenendum tamen etiamsi inchoata est doctrina de sonorum legibus, repugnantibus rationi ac regularum constantiae, *et hic euphoniae ratione habita servasse antiquos normam quandam, non rationis verum pulchritudinis.* Ceterum non desunt loci *necessitatem* prementes defectivorum vel mutationum, quae necessitas non *praescribentis* est legis sed *cogentis.*

§ 2. ANALOGIA.

1. *Definitio.*

Analogiae exstat definitio ROMANI a CHARISIO (K. I 116, 117; B. 149, 150) et in fr. DONAT. (VI 275) conservata [1]).

Corruptus est uterque quem vocant textus, nisi forte grammatici dormitantes perperam fontem exscripserunt. Ambo scilicet duplicem analogiam noverunt generalem et specialem (TOLKIEHN l.l.), quarum haec sit sive rerum sive *rationum.* Ultima vox sana esse vix potest, siquidem consentaneum est omnem analogiam versari in rationibus (Vide supra p. 16 sqq.) CHRIST in DONAT. fr. legit „dictione". Utique rectum opinor, quod ad sensum. An legamus „oratione"? Saepius rationem orationemque permutatas invenies (cf. VARRO VIII 1) et in DONAT. fr. eandem permutationem bis factam esse suspicari licet, cum Graeca verba q. s. *„(ἀναλογία ἐστὶ) συμπλοκὴ λόγων ἀκολούθων"* non possint verti „conexus orationum consequentium" (cf. de oratione VARRO X 68) [2]). Ceterum nihil inde novi discas. Plus et difficultatis

---

sciendum" inquit *„naturali quadam* fieri vocis *ratione* propter celeriorem motum linguae labrorumque" (II 31). Attende, ut nonnihil dubitanter de *quadam* ratione naturali dicat! II 47 De vocibus qualis est affectus d litteram mutari dicit „f quoque sequente rationabil*ius*."

Pronomina „naturaliter" nominum consequenti declinatione carere censet III 146. Comparandus PROBUS (IV 220) de i et u litteris modo vocalibus, modo in consonantes compressis sequente vocali, quod non immerito fieri putat.

[1]) Cf. TOLKIEHN (*B. Ph. W.* 20 Nov. 1909, col. 1484 sqq.); BARWICK *R. P.* 208 sqq.

[2]) Neque KEIL neque BARW. in CHARISIO „orationibus" mutavit.

et utilitatis habere videtur quod DONATIANUS analogiam, quae est *ἐν κλίσεσι μερῶν λέξεως* velut partem inserit analogiae dictionis vel orationis. Est alia igitur, sed ubinam quaerenda? BARWICKIO (210) in mentem venit *derivationis* et sane VARRONIS declinatio voluntaria revera legibus analogiae tenetur, id quod identidem posteriores animadverterunt (cf. infra p. 75 sq.).

Praeterea tamen commemorandam censeo *orthographiam, impositionem, syntaxin.* Orthographia — nimis breviter a MAR. VICT. (VI 7) analogia dicta — scatet variis analogiis, plerisque declinationis, derivationis, etymologiae, non vero cunctis, velut ubi „pulcrum" et „causa" ut scribatur monetur, ne fiat exceptio. Ipsa *impositio* nullo modo ratione caret! (TER. Sc. VII 20, 21) Cf. infra p. 75 sq. Syntaxis vere abundat exemplis, quippe ad analogiam cuiusvis constructionis continenter aliae fiunt explicanturve. Quin tota in analogia certisque regulis versatur; cf. supra p. 58, infra p. 76. Non invenio quidem in his rebus analogiae nomen apud auctores in usu frequenti esse; sed idem valere videtur in derivationem. *Vis* tamen analogiae atque ipsa res ubique in manibus est. Praeterea autem cf. infra p. 81.

Rationes analogiae dari solent e quibus si vel una desit non stare possit analogia [1]). Numeri autem variant. Sunt quae identidem redeant atque usum necessarium habere statim perspiciantur: *a.* genus, *b.* species sive qualitas, *c.* figura, *d.* numerus, *e.* casus, *f.* exitus, omnes ALEXANDRINIS iam notae [2]).

VARRO tamen non habet figuram et numeram (X 21), unde cave colligas ab Alexandrinis eum dissentire. Iam VIII 61 apparet eius partis homines composita cum simplicibus conferre recusare et sine dubio cum de casibus loquitur rationem habet numerorum.

CHARIS. (K. I 117; B. 149) tradit ARISTOPHANEM dedisse easdem quas VARRO statuit excepta qualitate (quam adhibendam esse res ipsa clamat) additumque esse ab eo numerum syllabarum atque sonum, ab ARISTARCHO figuram. Ita quoque sex rationes efficiuntur. Octo praebent SERVIUS (IV 435) et POMPEIUS (V 197). Cognoveritne CAESAR, id quod POMP. auctor est, re vera eas omnes FUNAIOLI l.l. dubitat. An iniuria nescio. Etenim SERVIUS habet sex quas supra memoravimus addita comparatione et consonantium ratione paenultimarum. Omittit ARISTOPHANIS numerum syllabarum et sonum. Num ergo dicamus severiores esse eius leges? Nisi fallor contrarium est

[1]) Cf. POMP. V 197. Eadem sententia apud HEROD., quam COLSON, *Class. Quart.* 13 (1919) pg. 23 „such obvious nonsense" iudicat, ut ipsius HERODIANI esse vix credere possit. Leve argumentum, quod totius grammaticae antiquae ratio infirmat.

[2]) Cf. FUNAI. *Gr. R. Fr.* 151.

verius nec video cur CAESARI non octo illae sint tribuendae. Quod ad POMPEIUM attinet, octo modos se novisse dicit, novem enumerat, e quibus septem apud SERVIUM offendimus, postremi sunt: „paenultimarum ratio ut sit similis, ut aut vocales sint aut consonantes: deinde ut tempora sint similia". Nonam de similibus temporibus *perperam* eum addidisse censet FUNAIOLI (l.l.). Non obloquor, si mihi datur cetera quoque de numero syllabarum, de sono, de consonantium ratione paenultimarum nauci non esse, nisi quis forte analogiae sectator adversariorum argumentis circumventus talibus munire se volet rationibus, quae semper fere effugium praebeant, comparandus cum iis hominibus, qui nil morentur leges, nisi quem fructum inde se percepturos putent.

Quomodo defendere potuerunt dissimilem declinationem eorum nominum quae eiusdem generis, qualitatis, et si qua plura postulantur, dissimiles sequantur regulas, qualia sunt hortus et fructus? Vel quomodo analogiam potuerunt adimere nominibus, quae pari similique ratione declinentur, quamvis dissimiles sint paenultimae consonantes, ut fit in horto et equo?

Neque talem saevitiam inexorabilem usus rerum passus est. CLEDON. (V 51 sq.) statuit non habere comparationem voces q. s. qualis et talis „quamvis ab *analogia* non discrepent nominum horum, suavis et dulcis". Analogia si hic non deëst, ubi neque comparationem neque consonantium paenultimarum rationem eandem esse apparet, mutata est videlicet ab ea, quam octo rationibus grammaticus ipse obstrinxerat (47). Saepe quoque numero invita docta ratione comparantur composita cum simplicibus. Quin affirmat ipse CLEDON. (V 13): „si voluero recte declinare, sic declinabo simplex nomen, quo modo compositum", quo nihil est luculentius. Atque *ipsa analogia id postulari* testatur PRISC. (II 280): „composita simplicium declinationem sequuntur secundum analogiam". Cf. porro CHAR. (K. I 236; B 307), DIOM. (I 369; 406), PRISC (II 45; 230; 496).

Simul ea compositorum constantia ostendit hac certe in parte declinationi voluntariae, quam VARRO appellat, non deësse rationem analogiae. Quod ille erat infitiatus, ne forte anomalias quasdam fateri cogeretur, id posteriorum diligentior investigatio ingenue aperuit.

2. *Analogia positionis* [1]).

VARRO — quamvis libidini prodens impositionem — quomodo nihilo-

[1]) Omittimus h. l. quae positionis analogia a declinatione non est seiungenda, ut ex obliquis casibus recti derivari possint. Cf. CHAR. K. I 135; B 172: „Lacer an laceris? Ut tener puer. Ultimam enim vocalem si ablativus amiserit, dabit scire qualis esse debeat nominativus." Cf. VARRO X 51 en 61 sq.; supra cap. I p. 14.

minus e rationis tamquam vinculis eam eximere non valeat supra vidimus (p. 28 sq.). Item posteriores [1]). Cf. supra p. 67, infra p. 130 sq.

DIOM. I 385 v. q. e. „sum" iam ipsa positione corruptum iudicat „quoniam nullum in toto sermone tale est", cum contra fero habeat „positionem conpetentem *analogiae*". Alibi „vasum" rectius dicitur quam „vas", „quia nullum nomen generis neutri as litteris terminatur." (CLEDON. V 46). Quam vetus sit ista ratio ostendit CAESAR VARRONIS „lact" repudians, quod nullum nomen duabus mutis terminetur (FUN. fr. 14) [2]). Primitivorum nominum „ratio" agnoscitur, quae detrahitur derivativis (VIII 67). Accuratiorem syllabarum litterarumque quae in positione sunt investigationem instituit MARTYRIUS (cf. VII 166: „sine vocalium *ordine* syllabas posse nullo modo consistere ipsa primum *natura* . . . cognoscimus"). Denique derivatio, compositio, etymologia multum praestant constantiae et rationis. CHAR. K. I 56; B. 70 postquam eam rationem, quae Graeco etymo usa „hoc cyma" dici iuberet refellit: „hoc enim nomen — inquit — cum sit naturae inconstantis *non potest ab analogia adseri.*" Et de nominativo quidem casu agebatur! „Sestertius" dictum putat PRISC. III 408 „secundum Atticos et Ionas, . . . teste etiam Didymo, qui hoc ponit, ostendens *in omni parte orationis et constructionis analogiam Graecorum* [3]) secutos esse Romanos e. q. s." Notatu dignissima verba, sine dubio et ad positiones spectantia et ad syntaxin.

3. *Analogia quomodo sit orta.*

Variant opiniones, prout similitudo velut fortuito pedem intulisse creditur aut sapienter esse creata, sive id magis hominibus tribuitur sive rationi divinae. Priorem sententiam defendit QUINTIL. I 6. 16 non analogiam demissam caelo formam loquendi dedisse, sed esse inventam, *postquam* primi homines fingerentur, non ratione niti sed

---

[1]) Huic sententiae ni fallor non repugnat illa, quae primam originem ratione carere dicit (POMP. V 241), quoniam h. l. de *etymologia* agitur.

[2]) Isdem libris disseruit C. de aspirationibus, de sing. pluralibusque tantum, de derivationibus, de generibus nominum, quae cuncta ad analogiam possunt pertinere. Quod si quis in prioribus duobus minus videt, memor sit etymologiae et cognationis litterarum etiam in h littera (VEL LONG. VII 68 sq. = VARRO fr. 280 FUN.) et de natura analogiae fundamento in sing. et pl. t. constituendis (VARRO IX 63 sqq).

[3]) Analogiam h. l. ita intellego, ut magis *imitationem singularum* positionum quam *regulam* ipsius Graecitatis hac in re significet („naar analogie van"). Sic quoque est quod eum locum attendamus, praesertim cum *syntaxis* tangatur (constructio partium orationis Latine dicitur quae Graece *σύνταξις*, cf. PRISC. I 550).

exemplo, non legem esse sed *observationem* [1]). Haud scio annon usquam apud grammaticos Latinos talia legantur, quippe quae analogiae doctrinam praesidio satis infido firment. (Cf. supra cap. I p. 32).

Humanam sollertiam vulgo laudatam inveneris (CHAR. K. I 50; B. 62). In cap. I VARRONIS de natura atque ratione sententias inspicere voluimus ad lucem Stoicorum philosophiae, quae et hanc et illam Deum nuncupat. Christiani grammatici nomen divinum (a natura male seiunctum) in artem invehunt, velut SEDULIUS, de quo supra diximus p. 65. Ita explicanda, opinor, (PROBUS *Inst. Art.* IV 56) „praecepta *caelitus* data." Ea quoque verba afferre poterat STEUP, ut auctorem Christianae fidei confessorem argueret [2]).

4. *Analogiae gradus.*

Haud semel apparet analogiam non esse simplicem eiusdemque ubique formae, sed aliquando satis intricatam. Fit ut diversae rationes inter se confligant (v. infra p. 96 sq.) vel ut alia aliam stabiliat (CHAR. K. I 65; B. 82). Efficitur simul, ut alia ratio alii vi atque argumentis praestare possit, cum quae utramque iuvant veluti trutina pensantur. Sic ipsa se explicant PRISCIANI verba q. s. „quod proportio *magis* exigebat" (II 502), SERG. IV 505 „*probabilius* est ut secundum rationem fervere dicamus". Ut „magis analogum" (VIII 113) Graeci: *ἀναλογώτερος* [3]).

Tenendum tamen ex liberiore comparativi usu nonnunquam *magis* secundum analogiam dici posse quod *solum* est.

5. *Analogia mutationum.*

Naturam litterarum ac cognationem tractantes (69 sq., 72 sq.) statuimus quandam mutationum constantiam et necessitatem invenisse grammaticos sibi visos esse, quam motoriam, ut ita dicam, ab analogia stataria — etsi ipso nomine analogiae omisso — non luculenter distingueruent. Apparet autem *nomen* apud TER. Sc. VII 12, qui „proportione" scribendum censet „equus", „servus", propter alias causas et quod antiqui ea verba scribere solebant per uo.

6. *Analogia = orthographia.*

Satis miramur apud MAR. VICT. VI 7 de orthographia „*vel analogia*"

---

[1]) Quam similis est iis medii aevi philosophis qui „universalia post rem" docerent! Quam maxime contrarie PRISC. III 135 de generalibus et specialibus formis rerum in mente divina exstantibus.

[2]) Cf. SCHANZ *Gesch. d. R. Litt.* II 2^3 444.

[3]) Exempla apud REITZ. *Gesch. d. Griech. Etym.* 383 sqq.

mentionem fieri. G. SCHADY [1]) sic id explicat, ut auctor misere contraxerit fontem, qui regulas scribendi attulisset historiam, etymologiam, analogiamque (cf. TER. Sc. VII 12). Tam stultam esse et e tam turpi neglegentia natam VICTORINI appellationem vix crediderim. Iam primum est sciendum non multam fuisse in indaganda orthographia historiam [2]).

At etymologia et analogia tam arte sunt conexae, ut uno *rationis* nomine QUINTILIANUS eas sit complexus (I 6. 1), sicut postea DONAT. fr. VI 275. Item fere VARRO, quemadmodum supra cap. I p. 19 vidimus. Porro Graeci *„ἀναλόγως"* usurpatum nonnunquam dicunt quod secundum etymologiam [3]). Ipsos Romanos *compositorum* analogiam agnovisse complures testantur loci. Vide supra p. 75 sq. Atque regulas *derivationum* permultis locis invenimus, quos tractare alienum sit ab hac re. Sitne *nomen* analogiae saepe datum derivationum constantiae nescio; *res* trita est. PRISC. II 261 proportionem ponit inter vultus-volo, cultus-colo, occultus-occulo. Et PROB. IV 212 respuit formam q. e. „podagricus", quia ut sit „rugosus" a „ruga", ita „podagrosus" fiat e „podagra". En tenes puram putam analogiam! [4])

At non omnia tam claris regulis adstringuntur. Concedo; sed omnis derivatio quattuor habet res, duas scilicet formas, duas significationes. Et quoniam, ut est altera significatio vel res ad alteram, sic altera vox ad vocem, *in omni etymologia analogia quaedam inest,* quae confirmatur aliis etymologiis eadem ratione natis [5]). Certe is qui in scribendo etymologiae rationem habet analogiam sequitur, quoniam ad primitiva derivationes accommodare solet certa lege ductus. Denique si quae *vulgo* analogia vocatur multo maioris momenti fuit in orthographia statuenda quam etymologia [6]), non tam insipide peccasse videtur VICTORINUS quod *„recte* scribendi scientiam" appellaverit *„rectae* rationis" nomine, quo gravissimae orthographiae *regulae* indicantur.

---

[1]) *De Mari Victorini Libri I Capite IV* Diss. Bonn. 1869 p. 3.

[2]) BRAMBACH, *Die Neugestalt. der Latein. Orthogr.* Leipzig 1868 p. 2.

[3]) REITZ. o. l. 381.

[4]) Cf. CHAR. K. I 83; B. 104: „pater patris cum faciat et mater matris, cur *dissimiliter* aper apri et caper capri, solet quaeri ... item caprina et apruna cur *dissimiliter derivetur* quaeri solet." *Videlicet utrobique eadem analogia desideratur.*

[5]) Cf. *De Grondbeginselen der Nederl. Spell.*[5] door L. A. TE WINKEL en M. DE VRIES 1884 p. 19: „Men zie vooral niet voorbij, dat de (*Regel der Gelijkvormigheid*) grootendeels dezelfde is als die, welken men gewoonlijk den *Regel der Afleiding* noemt." Neque iniuria in *Vita Ruhnkenii* 27 WYTTENBACHIUS: „Alterum" (sc. instrumentum), inquit, *„Analogiae* nomine celebratum, versatur in singulorum *originibus* verborum indagandis e. q. s."

[6]) Ita BRAMBACH *o. l.* 3.

Explicationem nostram tutam reddere videtur DIOM. I 456: „specie regulae sermonis, quam vocant analogiam, servatur *recta scripturae ratio*, ut sciamus scribsi b littera potius utendum esse quam p, cum exordium* verbi quod est per b scribo."

§ 3. RATIO.

Tractaturi sumus notionem dignam cuius varias ac diversas significationes paulo accuratius distinguamus, cum praesertim, latius quam analogia patens, toti Romanorum grammaticae quasi signum suum imponat. Hic quoque summa fastigia perlustrasse contenti erimus. Et quidem triplicem maxime rationem discernimus, prout

pertinet ad *sapientiam*, quae naturam rerum sive administrat sive cognovit („rede")

vel nil nisi *naturam* alicuius rei indicat („gesteldheid")

vel refertur ad humanam, *imperfectam cogitationem*, quam subiectivam dicunt.

1. *a.* Naturam esse totius orationis fontem fundamentumque singulae fere grammaticorum paginae docent. Nihil aliud SEDUL. commemorans „aeternas et incommutabiles *rationes* (nos: „ideeën") ... secundum quas non solum nomina et verba ... sed et omnes creaturae formatae sunt e. q. s." (VIII 26). Una eademque ratio lux est naturae atque orationis. Unde quid sit „ratio naturae" et „naturalis ratio" (PRISC. II 141; 370; CONS. V 350; al.) statim intellegitur.

b. Oratio tota „rationabiliter agitatur" a ceteris animalibus nos segregans (DIOM. I 300) [1].

c. Aliquanto angustiore sensu id „ratione" dictum putatur, quod secundum etymologiam vel immutabiles declinationis syntaxeosve leges. Itaque alius ratione casum esse nominativum negat (CHAR. K. I 154; B 195), alius ait, immo „rectissima ratione" (CONS. V 350). Pronominum *vocativos* se posuisse dicit CHAR. (K. I 158; B. 201) „non dum refragamur *rationi* ... sed quoniam contextum declinationis habere voluimus". Et postquam quaesivit POMP. (V 235, 236) nonne duplici futuro uteretur qui scriberet: „cras dicam", respondet ipse „iusta ratione" id dici posse.

d. Porro rationis nomen imponitur cuivis *regulae* sive ad terminationes nominum — *etiam primitivorum!* — pertinet (VIII 67), sive ad exitus genetivorum cum nominativis collatorum (CHAR. K. I 39;

[1]) Fastidium serum non dubitat dicere: „inarticulata (vox est), quae cum nulla ratione profertur, *ut est rusticorum loquutio*". (VIII XXV).

B. 44), sive ad *syntaxeos* regulas (CHAR. K. I 263; B. 347; POMP. V 234; 275).

Quin ea appellatur „ratio", quae, nullo modo lex, magis usum quendam indicat, ut apud PROB. IV 24: „et antiqua est ratio declinationis dativo uti pro genetivo" (Ulixi!).

e. At vere rationis imperium versatur in *analogia.* Non attinet multa eius usus exempla proferre. Vide CHAR. K. 117; B. 150; K. I 125, 126; B. 160; K. I 138; B. 175. Luculenter PROBUS (ille, qui *Instit. Art.* composuit) IV 48: „analogia est *ratio recta* perseverans per integram declinationis disciplinam", cui opponit anomaliam, quippe quae sit „miscens vel inmutans aut deficiens *ratio* per declinationem." Quam male eadem voce rationis anomalia significatur!

Ratio autem recta nos admonet *τοῦ λόγου ὀρθοῦ,* de quo tam multa discipuli Zenonis. Divina est lex, immutabilis, semper et ubique valens [1]), profecta a natura [2]). Audi CICERONEM: „quibus enim *ratio* data est, iisdem etiam *recta ratio* data est: ergo et *lex,* quae est recta ratio in iubendo et vetando; si lex, *ius* [3]) quoque". (*De Leg.* I 12, 33).

Nonne ea omnia quodammodo transferri possunt in analogiam grammaticorum? Si quid video, vel inde perlucet quaenam philosophia grammaticae Romanae tamquam fundamentum substrata sit, etiamsi neque ipsi auctores id egerunt et potius de *habitu quodam animorum* cogitandum est quam de doctrina consulto adhibita.

Etenim demonstravit BARWICK praeclaro de R. Palaemone libro multo magis artem Romanam Stoicorum *τέχνην* sequi quam quem libellum scripsit DIONYSIUS THRAX. Quod si est verum, novum inde argumentum mutuamur, quo *anomaliae defensionem suscepisse Stoicorum* s e c t a m — non dico aliquem unum — *nullo modo credendum probemus.*

f. Quid intersit inter rationem et analogiam.

Iam nova quaestio est inferenda, quam verba super scripta significant. Praecipientes responsum statuimus *ubicumque ratio ad regulam referenda sit, ibi locum habere analogiam.*

Est, ut exemplum afferamus, ratio quaedam (cf. 28 supra) docens ea feminina quae o terminantur tunc o litteram servare cum antecedat „ti". Conferamus igitur deminutio — deminutionis atque subscriptio — subscriptionis; quid est nisi „collatio" seu analogia?

---

[1]) Cf. DIOG. L. VII 87: „*ὁ νόμος ὁ κοινός, ὅσπερ ἐστὶν ὁ ὀρθὸς λόγος διὰ πάντων ἐρχόμενος, ὁ αὐτὸς ὢν τῷ Διὶ κ. τ. λ*".

[2]) DIOG. L. VII 128.

[3]) Legi oppositum ius est „das Besondere" (SCHMEKEL *Philos. d. mittl. St.* 47).

Sunt quae regulae ostendant quas terminationes genera quaeque sequantur. Ibi quoque proportionem non abesse in promptu est, nec reprehendendus PROBUS, ubi voces qualis est finis, „secundum *analogicam* disciplinam masculini generis esse" vult (IV 124).

Idemque ostendit syntaxis, velut si „*canonice* ... praepositiones gentibus seu nationibus adduntur, civitatibus adimuntur" (Char. K. I 232; B 301). Quid? Ne etymologia quidem sua caret analogia, ut supra exposuimus (p. 78). Denique quotiens ratio non unum *λόγον* („relatie") indicat, sive idem valet atque *natura* modusque cuius rei, sive *subiective* ponitur quidem, sed generale quiddam habet cumque regula constantiave est coniuncta, totiens in analogiam explicari potest.

Potest, inquam, namque extra declinationem id fieri minus est usitatum. Tamen iam melius perspexisse nobis videmur quam generalem analogiam dicat DONAT. fr. (VI 276) [1]) (cf. supra p. 73). Quamquam maioris momenti est illud: *analogiae doctrina nihil est nisi disciplina rationis*. Quod proprium est grammaticae Romanae est *rationis imperium*.

Quapropter non possum non dissentire a REITZENSTEINIO LUCILIUM ceterosque Scipionis sodales ab analogiae disciplina summopere seiungente, perinde ac si quis regularum, distinctionum severarum, *adde et derivationis constantiae* amator esse possit idemque declinationis analogiam aspernari (cf. supra p. 47 sq.).

Eaque de causa contentio pristina et hodie ad grammaticos pertinet neque apud antiquos unquam penitus oblitterata esse videtur. Etenim quod etiam atque etiam rogatur, *cur* verba quaedam *dissimiliter* declinentur [2]), cuius rei aliquam dumtaxat rationem invenire grammatici laborant, vel id, nisi fallor, ostendit aut analogiae doctrinam oppugnari talibus interrogationibus aut certe ab defensoribus non satis munitam putari. Apertius tamen quod MACROB. scribit de SEVERO discipulo saepissime requirente „verbum sermonis *usu an ratione* alicuius regulae dirigatur" (V 634).

Relinquitur ut verbum addamus de „*analogiae ratione*" cuius non semel mentio inicitur [3]). Ratio ea est quae formam induit analogiae; quemadmodum alibi „ratio regulae" commemoratur [4]). Cf. supra p. 19 $_1$.

g. Ratio grammaticae.

Vix opus est pluribus verbis exponere eandem rationem quae et res

[1]) Prave ibi analogia specialis declinationis, quasi id novum ac peculiare sit, procedere dicitur per similium comparationem.

[2]) CHAR. K. I 83; B. 104; VIII 194.

[3]) PRISC. II 310; EUT. V 448.

[4]) PRISC. II 230; 303; al.

et orationem digerit disponitque unam esse, qua grammaticus sermonem cum penitus cognoscere tum rite emendare valeat. *Triplex ea ratio naturae, loquentium, praeceptorum,* quam necessarium sit ut neque confundatur neque divellatur, sed caute distinguendo explicetur non in grammaticorum mentes occurrisse videtur. Quemadmodum oratio facili credulitate putatur rerum ordinem exhibere speculi tantum non instar, ita de industria ab hominibus grammaticae peritis declinationibus ceterisque elegantiis ornata esse videtur.

Pauca exempla rationis, quae in grammatica cernitur, sufficiant: PRISCIANO (II 190) „satis *irrationabile*" videtur quod nonnulli proferunt de septimo qui dicitur casu. POMP. (V 140): „illud longe et rationabilius et fortius et verius est, quod ille tractavit e. q. s." Denique grammatica tota „formam loquendi ad certam rationem dirigit." (DIOM. I 421).

Quodsi ratio est grammaticorum dux, non iis satisfacere videntur qui cum STEINTHALIO (o. l. 709) opinentur fuisse grammaticam vetustam „durchaus eine Anweisung zum richtig Sprechen mit praktischer Tendenz . . . nie reine Wissenschaft e. q. s." Procul dubio artis antiquae bona pars versatur „in recte scribendi loquendive ratione", sed *historice,* „quae definit" [1]) (MAR. VICT. VI 4), id quoque agit, ut recte dividatur, definiatur, ordinetur. Quid *usus* moratur vocis litteraeque definitiones, quid controversias de vitiorum nominibus (DON. IV 393), generibus, numerisque troporum (QUINT. VIII 6, 1), de ordinatione partium orationis (cf. supra p. 61 sqq.)? Id primum. Porro summum illud studium *recte* scribendi utrum servit usui an et rationi? Usui si putas confitebor, cum dederis mihi usum ipsum ad artem, *doctrinam rationemque* contendere.

h. Rationis gradus.

Nil nisi breviter perstringemus ut in analogia (cf. supra p. 77) sic in ratione gradus quosdam statui posse. Quae minus quam optatur tamen quodammodo ad normam respondent „non . . . penitus absque ratione" vel „non irrationabiliter" prolata dicuntur (PRISC. III 163; 277). Contra alia persaepe „rationabilius" vel „rectius" dici iudicantur (PRISC. II 45, 91; III 163).

Ea est e causis, cur tam crebro diversa „posse dici" grammatici fateantur, qua de re v. p. 98 infra.

2. Quam rationem modo adumbravimus generalis est, implicita cohaerensque cum regularum analogiis. Nititur autem quaevis regula

---

[1]) GEORGES *Handwörterb.*[8] s. v. horistice parum accurate: „*die Definition,* als theoretischer Teil der Grammatik."

Cf. praeterea BARWICK *R. P.* 220 sqq.

singulis rebus, quae et ipsae *rationes* vocantur. Cf. VARRO X 37. Cur PRISC. (II 10) ancipitibus litteris qualia l et r „non *irrationabiliter*" m atque n addi posse dicit, nisi quod ea eundem habent *λόγον* cum praecedentibus? Ratio ista modo indicat quid inter duas res intercedat (*„relatie"*), modo idem valet atque *natura modusve*.

Qui scriptor de ultimis syllabis egit (IV 259) nonnullas syllabas apud Vergilium „contra rationem" corripi docet. Fortasse non dubitaveris quin ad regulas eam rationem referat, ubi notantur v.q.s. tulerunt, steterunt (e correpta). Quid autem Orion (O brevi), Italiam (I longa, sic!)? Num quicquam nisi *natura* syllabarum significatur? Quam molesta sit ea significationum diversitas exemplo ostendemus ex eodem grammatico sumpto. „Quoniam" — inquit IV 245 — „statuimus ... de natura postremarum sive paenultimarum syllabarum, ut fert *ratio* disceptare, quae tradi solae *regulariter* possunt (nam ceterarum praecedentium *docet auctoritas rationem*), idcirco sqq." Comparari potest SERV. IV 417: „sed his regulis repugnant pauca participia *nova ratione* usurpata, ut est moriturus, quod *nulla ratione* dicitur." Alia eius usus exempla IV 256; 434; 495; 502. Cf. supra p. 19 $_1$; 80.

Id satis fuerit ad demonstrandum et accurate tam diversos sensus esse discernendos, ubi fieri possit, et alterum in alterum sensim posse transire.

Lubricam autem ingreditur viam qui non solum anomaliam ipsam „rationem" vocat, sed, quod facere amat PROB. *Inst. Art.* (passim), orientem facit e ratione et quidem *sonorum*. Sic enim haud facile possis negare rationalem esse anomaliam, quae quid tandem amplius ab analogia distet? Eo quoque itinere eodem devenit grammatica antiqua quo „natura" atque „cognatio litterarum" eam abduxerant. Cf. supra p. 69 sq.

Multus est PROBUS iste in terendo odioso anomaliae nomine. Quidni, si ea *propter sonorum rationem* fit, immo potius fieri *debet*? [1]) Velut „... unum nomen propter rationem sonorum ... anomale debeat declinari, id est deus" (IV 103). Eodem modo feminina vox leaena „secundum sonorum rationem... anomale" conformata fingitur (p. 82), ubi attende „secundum" illud normam legemque repraesentans! Vide porro p. 109, 111. Idem „metra et structuras" identidem auxilio arcessit. Ceterum cuius generis sit ista ratio et quae necessitas tales anomalias pariat, frusta ex eo quaesiveris. Satis videtur formulam esse nanctum, quae quamvis parum intellecta anomaliam culpa possit liberare.

---

[1]) Sescenties ea vox occurrit apud grammaticos tractantes formas *analogiae* parentes, quae adhiberi „debebant". Raro de anomalia dictum invenias.

3. Persaepe ratio ad *cognitionem humanam* refertur et subiective, ut aiunt, ponitur, ut sunt faciles Romani in talibus differentiis praetermittendis, cum praesertim ne in philosophia quidem satis distinguant cogitationem nostram ab eo consilio, quod rerum natura nobis patefacit.

Quo nobis accuratius ratio ea modo verum modo falsum amplectens discernenda a pura rectaque ratione, analogiarum quasi matre. „Ratio Sisennae *non est valida*" legimus apud CHAR. (K. I 107; B 137); apud POMP. (V 159): „si dicas „Aenea fortissime" non habet rationem." Quia nihilo minus eius constructionis „ratio *bona*" possit inveniri, redarguere eam conatur, pergitque ita: „inde videtur non esse ratio. est quidem subtilis non tamen vera e.q.s." *Quid quaeris? Mirum* in modum luditur significationibus diversis.

Saepenumero incuria ea ingentes errores parit. Cum aliis locis tum in *etymologia*. Si Stoicos audimus nulla est vox, cuius non certa origo explicari, non ratio possit reddi (AUGUST. *De Dial.* v. VARRONIS *L. L.* ed. G. et SCH. fr. 130). Num nullum nomen sit vitiose datum? At *eam* ipsam anomaliam accusasse eos constat. Est ergo ratio illa nil nisi *causa*, usquequaque, si non aperienda, attamen certe cogitanda. Neque non scripta legitur ea vox: tres *causas* enumerat MAR. PLOT. SAC. (VI 430), ubi de verborum deponentium nomine agit. Idcirco PRISC. II 548 *verae rationis* mentionem facit in verbo quodam utendo.

Hi tamen veras rationes minusque veras distinguunt. Quam facile autem eadem ubique voce adhibita perducaris, ut totam differentiam omittas ostendit DONAT. fr. (VI 275): „ratio digeritur in duas species, quarum alteram etymologiam, alteram analogiam Graeci dixerunt" [1]).

---

[1]) Idem ferme dicit DIOM. I 456: „proprietatis est species regula sermonis, quam Graeci analogiam vocant e.q.s." Quae proprietas cuiusnam modi sit non semper perspicitur. WOLDT *(de Analogiae disciplina apud grammaticos Latinos* 1911 p. 27) censet *fundamentum* analogiae hoc loco dici etymologiam, quam ostenderit LERSCH (III 152) saepius proprietatis nomine significari. At fundamentum nulla ratione pro specie subiciendum est! Quem autem sanum sensum inde elicias haud dispicio.

Grammaticorum proprietas multas habet et diversas significationes, quas cum enumerare longum sit unam atque eam usitatissimam afferemus, *veritatem* dico. In dilectu verborum ea pertinet ad verum usum, modo etymologiam sequentem, modo cum ea nullo vinculo coniunctum. Etenim primitivis quoque proprie improprieque uti possis.

a. Quare *abusive* neque proprie litteris pro elementis nonnullos uti putat PRISC. (II 6, 7), nisi quod littera dicitur „quasi legitera... vel a lituris" (*o. l.* 6)? „Nomina conlationis imposita parum proprie" (*Exc. Char.* I 536). Videlicet quia nulla fit comparatio et vocum sensus cum etymologia non conveniunt.

b. Verbi q. e. neco ptc. pf. pass. „et „„necatus"" a „„necavi"" et „„nectus""

Quam prave causa et ratio permiscentur, quamque praestitisset, si eas diligenter semper distinxissent! Neque vero ignorant illi quidem quid differant. Nempe praeclare MAR. PLOT. SAC. (VI 446): „inter *causam* et *rationem* hoc est, quod in ratione semper causa est, in causa vero non semper est ratio, et quod in ratione semper consilium continetur, in causa vero non semper. Causas habet Iuno ut irascatur Aeneae, non rationem." Prudenter ergo SEDULIUS (VIII 26) *rationabiles causas* commemorat. Vulgo autem praetervident causam pertinere ad historiam, ad *γένεσιν*, rationem vero ad normam, ad *τὸ ὄν*. At vero totius grammaticae Romanae ea est indoles, ut semper omnia summa tribuat *huic* rationi, velut legi immutabili, aeternae. Quo magis ambiguitas vitanda fuit.

Neque solum in veriloquiis causae exaequatur ratio. Hic illic *suavitas* stat pro ratione. De *ψ* littera sic disserit PRISCIANUS (II 33): „... non sine ratione haec quoque duplex a Graecis addita videatur, nam multo molliorem et volubiliorem sonum habet *ψ* quam bs vel ps," ubi rationem iustam esse causam apparet.

Fit, ut ratio eiusmodi repugnet rationi ei, quae cum analogia con-

---

a „„necui"" facit... sed proprie „„necatus"" ferro, „„nectus"" vero alia vi peremptus dicitur" (PRISC. II 470). Ista proprietas non iam ad originem refertur. Cf. etiam QUINT. I 5. 71.

Eo certe modo intellegendae MELISSI proprietates, de quibus GELL. XVIII 6. Quod matrona atque porcetra sint quae semel, materfamilias et scropha quae saepius pepererint — Romanos inurbana comparatio non nimium offenderit, quemadmodum Tremellii Scrophae „facetissima iuratio" declarat (MACROB. *Sat.* I 6. 30) — id non e veriloquiis tractum apparet. Neque MELISSUM etymologias sprevisse est credendum neque vero (quod credit LERSCH *l. l.*) ad eas se limasse.

MACROBIUS *Sat.* VI 8. 15 Servium quendam inducit dicentem multa esse vocabula, quae quid „*ex vera proprietate* significent" ignoremus, velut dissentiatur utrum sit vestibulum aedium pars ipsarum necne. Postquam *auctoritate* usus veram statuit significationem, tum denique tractat „rationem" sive originem vocis. Roganti utra „proprietas" prior sit, ea quae etymologia commendatur, an quae cernitur in primitivis, respondeo hinc esse incipiendum. Quod proprium est cuiusque vocis et ab aliis eam distinguit, ea est proprietas. Servant eam proprietatem derivata quasi hereditariam acceptam. Iam perspicuum puto cur de *differentiis* scriptus liber de *proprietate* sermonum agere dici possit (VIII CXX).

Hinc facile pervenias ad *regularum* proprietates. Habet enim quaevis regula pro[illegible]um quiddam ab aliis seiunctum. Quam qui violat, omittit proprietatem omnis permiscens. Sic comparativa „proprie ad positivum fieri" solent (PRISC. II 92); et EUTYCHES, quia in -do desinentia verba tertiae coniungationis esse solent, „mihi quoque videtur" inquit „do verbum in simplicitate praeter *regulam* declinatum suam in compositione cepisse *proprietatem*". Quodsi proprietas optime referri potest ad regulas rationemque, nihil aliud de ea dixisse DIOMEDEM puto loco allato nisi quod QUINTILIANUM de ratione sua.

iungitur. Idem enim scriptor in vocibus qualis est „exsequor" omitti iubet s litteram, „cuius rationem non solum ipse sonus aurium iudicio possit reddere e.q.s." (II 33, 34); itidem iudicat „expiro" „rationabilius absque s" sicut „affectus" rationabilius quam scriptum per df. (III 48; II 47).

Haud minoris momenti est alius PRISC. locus (II 454): „excipiuntur „fero", „volo", „edo", quae inaequalem habent declinationem . . . , de quibus non incongruum esse videtur in praesenti quae possumus *rationabiliter* tractare." Inde exponere incipit de industria vitatas esse formas quales „feris", „ferit", „volis", „edis", „ne dubitatio fieret significationis", sive „differentiae causa". Nemo unus e grammaticorum genere tam crebro tamque omnis moderationis et prudentiae expers „rationem" istam trivit, eo audacius quod, quae vulgo ratio appellatur, eadem atque analogia, isto pacto pervertitur atque impune potest sperni. Quo facto analogia et anomalia nullis iam certis finibus dirimuntur [1]). Cf. infra p. 94; 113.

§ 4. REGULA.

Et huius vocis multiplex est vis, quam facillime ad analogiae notionem exegeris.

1. Haud raro *exaequatur* regula *analogiae absolutae,* quam non recepit usus totam. Nempe nonnulla verba, velut lego legi legeram, rego rexi rexeram „formam regulae non servant" (DIOM. I 349). Etsi in quinta declinatione excipitur quies, quietis „compositum ex eo requies servat suam regulam et requiei facit" (*Exc. Char.* I 547). Sic anomaliam definire potest PS. PALAEM. V 539: „inaequalis declinatio contra regulam".

Quin ista regula, vel ubi a consuetudine quam maxime discrepat, nihil remittere videtur de severitate praeceptorum, siquidem „gaudeo gavisum praebet, vult regula gausum" (VIII LXVI) atque „praeceptorum regula est, ut diceremus his „domis" et „iugeris" (VIII 245). Sed ea profert grammatica sera. Etenim quamquam novissima sunt sumpta e *Commento Einsidl. in Donatum,* ipse DONATUS (IV 379) non prorsus eadem legenda praebet [2]).

---

[1]) Etiam atque etiam monueramus eadem via eodem delapsos esse qui vocantur *Νεογραμματικούς.* Probatur id iis, quae de HEMSTERHUSIO historica ratione uso scribit RUHNKENIUS (*Elog.* 41): „formas omnes et flexiones ad certam *rationem* revocat . . . *commentitias anomalias,* quibus grammatici omnia perturbassent explosit e. q. s."

[2]) Roganti quare non pertineant ad regulas indeclinabilia respondet POMP.

2. Deinde regula est, quae serio ut sibi pareatur postulat, et quidem *secundum analogiam*. Eam, ni fallor, dicit DONATUS (*l. l.*) universe statuens „euphoniam in dictionibus plus interdum valere, quam analogiam vel regulam praeceptorum." (Eadem verba apud DIOM. I 307.)

„Debemus — inquit PROBUS (apud POMP. V 189) — per omnia regulam sequi; sed si quando fuerit necessitas testamenti scribendi, tunc ista servanda sunt" (sc. „filiabus" et si qua plura sunt); cf. V 188.

3. Mirabitur nemo superponi posse analogiam diversis regulis, quasi eas complectatur atque gignat. Luculenter CONSENT. V 347: „in omnibus per unam analogiam apparebit diversitas regularum." Recte: versicolor est analogia magnaque varietate. Quod si ita comparatum est, non male STABERIUS EROS: „non esse positiones regulae, a quibus interdum analogia calumniatur" (II 385). Secundum analogiam declinari nomina in -tas exeuntia non est dubitandum. Eadem tamen dicuntur (VIII 115) multas regulas continere, quarum prima quod semper tertiae sint declinationis, secunda quod semper feminina, et quae sunt reliqua. Unde colligere possis quo plures nomina regulas communes habeant, eo pleniorem et uberiorem effici analogiam.

4. Quo magis nobis admirationem quandam movet, quod apud CONSENTIUM invenitur artiorem esse analogiam quam regulas eamque ob causam vel iis repugnare posse. Ipsum audiamus V 353: „(analogia) longe angustior et contractior res est, quam regula. hac enim latius generaliusque definitur. analogia autem in paucis exemplis similium ratione versatur, in tantum ut plerumque etiam in his dictionibus, quae regulae non serviunt, quaeque sub regulam non cadunt, inveniri analogia possit . . . ergo analogia nominum in conlatione maxime parium, ut homo sermoque . . . consistit atque perspicitur." Tum p. 355: „. . . . ab hoc vigili pugili, horum vigilum pugilum; quae duo analogia inter se confert, quamvis regulae non serviant." Denique p. 364: „. . . . scire debemus esse quaedam nomina ita propria [1]) ac sola ut ne in analogiam quidem cadant, ut est caro carnis, Anio Anienis.

Quae sententia, quatenus probari potest, cum ea, quam sub 3 tractavimus, artissime fuerit conexa. Quippe si una nominum quorundam analogia varias complectitur regulas — sicuti solis radii excepti nu-

---

V 197: „*sequuntur rationem:* istae regulae inventae sunt, ut sciremus, quem ad modum nomina declinentur. si illa nomina non declinentur, . . . *rite* ad regulas non pertinent." Praeclara vero defensio! Proinde ac si non id ipsum anomalum sit, quod nomina ista non declinantur. Nullo iure ratio et regulae hic inter se opponuntur.

[1]) Attende huius „proprietatis" vim, a regula quam longissime distantem!

bibus in varios colores franguntur — hoc quoque possis tueri perfectam demum esse analogiam in iis nominibus, quae nulla in regula deficiant. Quas ergo exceptiones *generalis* regula spernit, admittere potest analogia ut similes paresque. Hucusque audio. Errare autem mihi videtur CONSENTIUS illa re, quod *analogiam nonnihil inaequalitati assimulat* oblitus, quanto minorem habeat ambitum atque modum analogiae notio, tanto maiorem esse summam eorum quae contineat. Porro: fac in declinatione aliqua quinque nomina excipi, quae, eadem re a regula quapiam discedentia, probe cadant in analogiam: num haec est multo contractior res, cum praeter quinque exceptiones cetera nomina ipsa quoque serviant analogiae suae? Nonne excepta ipsa vinculo colligantur novae regulae et quidem *specialis*, tam late patentis quam patet analogia? Denique ut aliquantum veri habet differentia ista, ita maiorem partem sit aspernanda.

5. Quid sit *„regula proportionis"* (*Exc. Bob.* V 638) sive *„regulae analogiae"* (EUT. 465), quibus anomala careant, vix attinet addere: eas regulas intellegas, quae sine ulla exceptione servatae perfectam declinationis analogiam componant. Quod contra saepius *„ratio regulae"* commemoratur (PRISC. II 230, 303; PROB. 208 al.), id ea de causa fit, quia ut proportio regula nititur, ita regula quaevis ratione.

Neque memini me usquam „proportionem regulae" vel „rationis regulam" invenire, quamquam fortasse talia defendere possis.

6. *a.* Nonnunquam eadem vox idem ferme significare videtur atque „genus verborum", quae similiter declinantur vel „exitus". Velut DONAT. IV 378: „sed haec regula (eorum sc. quae abl. casu sing. i littera terminantur) etiam accusativum casum singularem interdum per i litteram profert e.q.s." Itidem SERV. IV 438: „omnia adverbia e terminata in positivo semper producuntur, ut docte, exceptis tribus regulis eorum adverbiorum, quae e.q.s." Notandum alteram esse *regulam* eorum „quae *anomale* comparantur"! [1])

b. Exitum magis designat SERG. IV 513: „... futurum in duas regulas exit, rus et dus, rus ab activo, dus a passivo, lecturus legendus" [2]). Cf. porro POMP. V 152; et 161: „praeterea scire debemus quasdam regulas quasi solemnes esse generum. ecce a quasi solemnis

[1]) Significationis transitum manifestum deprehendas apud CLEDON. V 46: „Necesse est autem contra hanc regulam declinentur ea nomina: *haec regula,* quae... ablativum et dativum in bus mittit... in his tantum *servanda* est e.q.s.", ubi v.q.e. servare admonet significationis primariae.

[2]) Sensus quoque nonnihil indicatur, quandoquidem partic. praes., *semper activum, unam* regulam habere dicit, exeuntem in ens et ans (*l.l.*) Nec mirum: exitus significatur, quatenus declinationem regit, sive quod ad formam attinet, sive quod ad sensum.

est generis feminini, puta Musa casa; ecce ipsa regula quasi dedicata est feminino generi". Et Ps. Palaemon V 540 „de es regula" disserit.

c. „Chremes regulam declinationis triplicem habet, unam ut hic Chremes huius Chremes e.q.s." legitur IV 215: modus declinationis indicatur.

d. Est ut regulae notio latius pateat. Legitur IV 564 (in calce pag.) „acyrologia est dictio quaedam vitiose enuntiata amisa dominatione intigrae regulae e.q.s." Iam regula vocatur quae cuiusque vocis *significationem* atque usum tueatur. Contra *formam* spectat Pomp. V 199: „superest ut sequamur regulam Plauti, lacte ut dicamus e.q.s." Adde Charisii verba K. I 51; B. 63: „auctoritas in regula loquendi novissima est" et K. I 50; B. 62: adprobatur autem defectionis regula argumento similium", quae verba quomodo interpretanda putem legitur infra p. 99. Idem valet regula Quintil. I 7. 1. Vox Graeca q. e. *κανών* eadem ratione modo ad analogiam refertur modo quamvis normam indicat.

§ 5. Rectus.

Paucis attingemus vocem q. e. *rectus* — cum *regula* cognatam — et quidem quod modo sine dubio ad analogiam pertinet [1]), modo haud sane ad eam refertur.

1. Quin *bene* declinetur rex, regis nemo dubitabit nec negat id Charisius; tantummodo *excipi* putat, cum alii vero arbitrentur „*recte* efferri regis, idcirco quia ex verbo deducatur e.q.s." (K. I 88; B. 111). Ecce analogia derivationis!

Ut recta sit oratio tantopere postulatur, ut *Latine* atque recte idem fere possint valere (Diom. I 399). Quid „bene" et „recte" loqui inter se distent planum facit *Fr. Bob.* V 559: „sed *melius* est (quam Vergilii alacris), *immo rectius*, hic alacer et haec alacris, ut hic acer et haec acris." Nempe quod auctoritas sancit, non ideo simul est secundum analogiam prolatum!

Haud ita raro formulae occurrunt velut recta analogia (Char. K. I 113; B. 145), recta ratio (o. l. 194; 252), recta proportio (Prisc. II 510). Num pleonasmi? Minime vero, siquidem non omnes, quae afferri possunt analogiae vel rationes, aeque sunt praestabiles. A Charisio priore loco notata adverbia naviter, humaniter, et quae sunt reliqua, non *omnis* proportionis sunt expertia. Rationis vero nomen tam laxum est, ut adiecta voce q. e. recta compleatur magis quam oneretur.

[1]) Quare „non conveniens *rationi* sermonis iunctura verborum"... Latine a quibusdam *stribiligo* appellatur" Diom. I 453.

Qui anomaliam (miscentem vel inmutantem aut deficientem) *rationem* vocavit, eum par est „analogiae *rectam* declinationis disciplinam" in ore habere (PROB. IV 47, 48).

Quam arte etymologia et analogia sint conexae iam saepius vidimus. Novum argumentum sumi possit e CONS. (V 391): „simile est et, cum dicit quis lapidicinas et lapicidinas: ... quoniam utrumque certa *etymologia recte* et *latine* dicitur." Si rectum, quod conveniens cum analogia, sequitur, ut non ubique recta declinatio probetur praescribaturve. SERV. IV 431: „recta conparatio — inquit — est ... ut doctus doctior doctissimus. Si autem integram non servat, inaequalia efficit nomina (bonus, al.) e.q.s." Idem ferme habet VIII 233. Ea quoque ratione explicandum censeo quod legitur QUINTIL. I 6. 22 de analogia nimis anxie adhibita: „*Recta* est haec via: quis negat? Sed adiacet et mollior et magis trita." Hanc et meliorem esse ostendit cum totus sententiarum ordo tum quam licentiam incusat ANTONII GNIPHONIS aliorumque (§ 23). *Ὀρθοέπειαν et* rectam locutionem repraesentare credit, non solam (§ 20). Non distinxisse *τῆς ὀρθότητος* duplicem vim est gravis error MAR. VICTORINI in orthographia (cf. supra p. 77 sq.) [1]). QUINT. vero Latinitatem et analogiam discernit (§ 27; v. contra § 19).

2. „Supellex magis auctoritate dicitur quam ratione ... nec tamen quisquam haec supellectilis dicere ausus est, et ideo *rectius* est cum pluribus stare et quod speciosius est in loquendo proferre." CHARISII ea verba (K. I 88; B. 111) satis declarant rectum esse etiam id quod bonum, quod commendatione dignum. Ne tamen putemus de *iure* quodam consuetudinis hoc loco agi „speciosius" illud prohibet. De verbo q. e. fabrum pro fabrorum PLINIUS: „hoc recte" inquit „usus" (o. l. 129; 164). An proportione confisus? At et ceteri grammatici id nos interpretari vetant (vide I 307; II 306; IV 100; V 556; QUINT. I 6, 18) et v. q. e. „usus" id dissuadet.

Eadem ratione explicandum fuerit quod dicit CAPER (K. I 195; B. 253) de v. q. e. abhinc: „utroque casu recte dicimus, quamvis ut sordidum et vulgare quidam improbent". Neque usquam hac in re rationem aliquam inveni et CAPER utrumque rectum dicere videtur, quia ipsius iudicio nec sordidum nec vulgare.

Aut cur „novissime" TIRO „non recte ait dici", nisi quia „sua coeperit aetate id adverbium"? (Vide CHAR. K. I 207; B. 269). „Novissimum" certe „senes aliquot, nimium novum verbum quod esset, vitabant" (VARRO *L. L.* VI 59). Addit praeterea VARRO proportionem. An vero scrupulus residet, quod significatio mutata analogiam violaverit? De-

[1]) Econtra Hermogenes Platonicus nullam *ὀρθότητα* agnoscit nisi *ξυνθήκην καὶ ὁμολογίαν* (*Crat.* 384 D).

nique digna est memoratu POMPEII sententia, quae legitur infra p. 97. Eadem igitur ambiguitas verborum atque alibi repperimus, hinc praesertim nata, quod nomina pervulgata adaptanda fuerunt reconditae disciplinae.

§ 6. OBSERVARE (OBSERVATIO). SERVARE. [1])

Quoniam non semel superscriptae voces, ubi de analogia ac regulis agitur, occurrunt, paucis earum usum differentiamque exponemus.

Et quidem, quasi sit catholicon, hac quoque in parte apparebit, quam nulla sit certa et fixa observatio, quae ad proportionem saepe pertinentia verba ab inaequalitatis regno arceat. Unde si quis efficere velit nonnisi vago lateque patente sensu vocem talem esse praeditam, et ob id ipsum cum ad anomaliam tum ad analogiam apto, non minus eum errare putem quam si in vocibus q. s. ratio vel rectus id diceretur.

1. *a.* Principio *observatio est quae regulas* proportionis saepe *latentes in lucem proferat.*

Quattuor vel quinque ordines nominum „ratione et observatione inveniuntur" (CHAR. K. I 18; B. 16). QUINTIL. (I 6. 16) eo pacto observatae analogiae legis naturam derogasse supra demonstratum est (p. 32_5). Pluribus exemplis abstinemus.

b. Deinde fit observatio: *observata regula* vel *proprietas.* Quam facilis est transitus in notionem secundariam, tam difficile fuerit singulis locis alteram ab altera certa ratione distinguere. Satis perspicuum videtur quod habet CHAR. K. I 31; B. 32: „. . . veniamus ad ipsas nominum observationes per quas et genera et numeri discernuntur", vel quae leguntur DIOM. I 320: „nomini accidunt observationes hae, genus numerus figura casus qualitas." Cf. I 419; 428.

2. *a.* Quas grammatica regulas observando aperuit, ad eas suam quisque orationem dirigat postulatur. Qui facit, regulas observare et ipse dicitur. CHAR. K. I 35; B. 39: „sed auctores non usque quaque haec observaverunt." Utra sit observandi natura nonnunquam indicat coniunctio insequens, sive est *quod* (EUT. V 481; idem valet *acc.* qui dicitur *c. infin. Exc. Char.* I 546), ubi quid repertum statuitur, sive est *ne* [2]) (DIOM. I 465), si quid monetur.

b. Unde fluxit altera significatio *declinandi,* velut apud CHAR. (K. I 31; B. 32; DIOM. I 305): „. . . pluralem genetivum non simili-

[1]) Contra originis rationem *observationem* praemisimus, quae apertius ad analogiam pertinere videatur.

[2]) Quin „observare ut" quoque legendum praebeatur, non dubito, quod tamen non nanctus de industria anquirere nolui.

ter *observabis* sicut in die et meridie per rum, sed per um syllabam e. q. s."

3. Atqui *regulas grammatici* non solum repertas tenent, verum etiam *ipsi excogitatas orationi imponunt,* quae et ipsa observatio vocatur. Sic CHAR. (K. I 50; B. 62): „postquam plane supervenientibus saeculis accepit artifices et solertiae nostrae *observationibus* captus est e. q. s." et in non dissimili re DIOM. I 334.

4. Neque tamen non *observatur, quod a regula discedit:*

a. CHAR. (K. I 39; B. 45): „observare quod unum proprium solum nomen . . . o non mutat, Iuno Iunonis". Cf. DIOM. I 341. Praeterea comparari possit DIOM. I 370. Atque adeo MAR. VICT. non dubitat dicere (VI 67): „. . . . haec observanda *vitia* nobis sunt e. q. s.", quod tamen haud usitatum est.

b. Quae a regulis dissentientia si quis *usurpat,* ea quoque observare dicitur.

CHAR. (K. I 116; B. 148): „. . . . exceptis his quae extra hanc regulam observantur". Cf. praeterea CASSIOD. VII 153, nisi vero haec sub 4*a* sunt ponenda. Luculentissimum suppeditat exemplum DIOM. I 439: „*Latinitas* est incorrupte loquendi observatio secundum Romanam linguam", quippe cum Latinitas ea non careat consuetudine auctoritateque. Nihilominus sic quoque *regulae* quaedam sunt quae observentur sive quod *rectum* est, modo ad normam analogiae exactum, modo ad consuetudinis auctoritatisve.

5. *Servare.*

a. Non semel servandi observandique notiones permutari posse videntur. Velut scribit DIOM. I 537: „omnis autem declinatio a genetivo casu cognoscitur. nam qui nominativum servant inepte faciunt e. q. s." Primarius sensus *τοῦ ὁρᾶν* hic perlucet. „Nulla lege servata" habet SERV. IV 419 et IV 416: „Virgilius vero — inquit — metri *necessitatem* mutata regula servavit." In eadem re *utrumque* ponit POMP. V 188, 189. Et in *Fr. Bob.* V 558 servare regulam idem valet atque „regulae servire".

b. Nihilominus servandi ratio alia quaedam est. Etenim proprium est huius notionis, ut *ipsis verbis* attribuatur. Unum afferam exemplum: CHAR. K. I 47; B. 57: „(nomina quaedam) pluralem genetivum *eundem* servant." [1]) Deinde regulas qui *inveniunt* aut *faciunt,* non servant sed *observant.*

c. Qua ratione sit in eiusdem originis verbis ea differentia explicanda? Nisi fallor in servandi ratione magis *retinendi* sive *conservandi* vis inest; *ratio* contra minus ea voce arguitur.

---

[1]) Raro ut opinor, verba *observare* dicuntur, ut sero fit (VIII 100; 191).

Parum diligenter, censeo, WALDE [1]) tantummodo hos sensus affert quos primo loco GEORGES) [2]): „erhalten, unversehrt bewahren, erretten". Melius notionum cognationem persequi videntur qui proficiscantur ab intuendo (ut MULLER) [3]).

Quamvis id sit verum, multa derivanda puto e *retinendi* ratione. Sic et supra memorata differentia expediri potest et explicatur similitudo servandi observandique. Agit DIOM. I 435 sq. de iis qui „servandam *vetustatis consuetudinem* putant", *regulam* et ipsam! PRISC. II 220: „. . . si enim — inquit — „leon" dicas, „necessario servas *ut* genetivus *quoque* secundum Graecos t habeat e. q. s." DIOM. I 303: „Graeca quoque nomina Graecae declinationis *regulam* servant." Multiplicari possint exempla, quae eadem ratione doceant e retinendi notione sensim perveniri ad regulas observandas. Quid mirum? Si quidem idem fit in *conservando* (DIOM. I 349) et *σῴζειν τοὺς νόμους* Graece bene dicitur. Cf. apud nostros „bewaren", a simili videndi origine ortum, eademque via per *con*servandi notionem ad *ob*servationem praeceptorum progressum.

§ 7. NECESSITAS.

Necessitas *natura* nititur [4]). Quo magis est notatu dignum, quod duplicem agnoscunt interdumque causantur grammatici necessitatem, alteram pertinentem ad rationem regulasve, alteram non item [5]).

1. CHAR. K. I 44; B. 53 postquam tractavit aliquot nomina masculina per tor, feminina per trix syllabam terminata ita pergit: „si vero sua proprietate censebuntur, non ut superiora, quae proficiscuntur a verbis, *necessario* communia erunt e. q. s." Qua re constet ista necessitas non statim elucet, neque quicquam ea voce indicatur nisi regulae constantia [6]).

Non est igitur mirandum, quod necessitatis et *debendi* notiones quodammodo altera pro altera poni possunt, sicut PROB. *Inst. Art.* IV 141: quoniam participia fut. „praeteriti temporis participiis syllaba

[1]) *Lat. et. Wörterb.*[2] s. v.
[2]) *Handwörterb.*[8] s. v.
[3]) *Altit. Wörterb.* p. 426 „auf etwas achten... wachten: bewahren, retten e.q.s."
[4]) Cf. de „naturae necessitate" PRISC. II 369 sqq.
[5]) Est tertia quaedam necessitas, neque a priore neque ab altera prorsus separanda, quae cogat homines utilitatis causa declinationes inducere. VARRO VIII 3; cf. supra p. 34 [2].
[6]) Quam rationem affert CHAR. vix ratio quae vocetur digna est. Itaque aliam commentus est PROB. *Inst. Art.* IV 91 („propter sonos"), aliamque rursus 128, veri minime similiorem („a verbo anomalo... id est ab audeo").

debent esse potiora . . . moriturus *necesse est* ut faciat." Denique SERG. IV 491: „quaedam *necessitas* est, quae nos coartet ad *verum* sermonem", quo loco auctor analogia ducitur.

Fit ut necessitas, qua de causa valeat, probissime possit intellegi. Velut quotiens ratione naturae nititur. Sunt qui aspernentur optativum praes. temp.: „*necesse* est enim omnium consensu in futurum optemus" (DIOM. I 340). PRISC. III 168 „necesse" habet „prius personae tertiae significationem voce aliqua fieri, ad quam iste genetivus vel reliqui eius casus referantur, ut „ille sui miseretur" e. q. s." Etiam minus probabilis sit necessitas, quam simulat III 212, attamen certe quasi naturalis. Quae idcirco promimus, quia multum refert perspexisse quemadmodum in declinationibus, eodem regnare pacto rationem in syntaxi, quod et aliunde et e necessitate ista apparet.

2. Cum necessitas, de qua egimus, a ratione proficiscatur, tamen frequenter „ratio . . . *necessitate* corrumpitur" (CHAR. K. I 54; B. 67), hoc loco „*ambiguitatis* secernendae scilicet gratia", alibi propter *inconsonantiam* elementorum vetantem proferri monstra quale „cursrix" (PRISC. II 371). In *syntaxi* eadem necessitas complexum orationis vitiare vel deteriorem reddere potest, velut Graeci „necessario" *ἑαυτῶν κηδόμεθα* ponunt pro *ἡμῶν αὐτῶν κ.* (PRISC. III 180). Quam non similis sit necessitatis alterius vel hinc intellegas, quod haec cogit scribi, quae *debeant* vitari, illa quod debet exsequitur. SERG.: „ . . . cum dicere *debeamus* póne . . . necessitate ducti, ne putetur modus imperativus ab eo quod est pono, dicamus poné, ut adverbium significet loci" (IV 484). Alia exempla V 253 (de necessitate metri) et V 628 (de litteris non convenientibus) eadem ratione necessitatem ed id quod debet inter se opponunt [1]).

Quo maior fiat confusio, nonnulli ambas necessitates nulla usi differentia conflant. Quod admisit PRISC. II 369 sqq. et qui eandem rationem diversis probat exemplis MACROBIUS (V 628 sq.) [2]). Cum aliis locis tum supra p. 70 demonstrare conati sumus eiusmodi confusionem, si admittantur quae consequentia necessaria inde efficiuntur, pertinere ad antiquam rationem funditus evertendam.

Etiamsi nolis suspicari e fonte Stoico ea hausta esse — quamquam PRISCIANUM vestigia pressisse novimus APOLLONII haud aversi a Stoicorum dialectica [3]) — non alienum fuerit duplicem eam necessitatem

[1]) Ne „debere" illud absolute intelligendum putes: „auctoritas non numquam et *necessitas* metricae disciplinae regulas *licite* contemnit" (Beda VII 251).

[2]) POMP. V 195 postquam „versibus" probavit „versubus" aspernatus est, „ubi autem — inquit — non est *necessitas* causa discretionis, *necesse* habet illa littera (sc. i) admitti", non sentiens diversas se inducere necessitates.

[3]) CHRIST-SCHMID *Griech. Lit.* II 2^5 706.

naturamque componere cum iis, quae profitetur, ut ita dicam, monismus Stoicorum, unam agnoscens *naturam,* bonarum et malarum rerum matrem [1]), atque rationem, Deum, *necessitatemque* eiusdem rei varia nomina nuncupans [2]). Cf. supra p. 40.

§ 8. DEBERE.

In ea notione minus grammatici labuntur plerumque, ni fallor, ad regulas et rationem relata, quod recte fit, si quidem auctoritatis consuetudinisve iura nulla esse fateris.

1. *Debet.* Quotienscumque quid exigit analogiae acerba observatio, quaeri potest: „siccine et scribendum an vetat usus?" Analogia fretus ROMANUS: „dici non debet alacer" (CHAR. K. I 114; B. 145), sine dubio formam eam respuens. Et PRISC. II 348 iis quae proferri „debent" auctoritatem non sequendam opponit.

Est tamen, ut idem illud „debere" indicare videatur, quid ponendum esset, nisi rationi obstreperet usus. CHAR. certe cum scribit (K. I 116; B. 149): „debentes enim dicere false ... non dicimus, sed falso" et quae plura eiusmodi ibidem leguntur, nullo modo a consuetudine desciscit. Vel si quis negat quicquam id probare, cum „debentes" ita sit interpretandum, ut si scripsisset „quamquam debebamus" (cf. „debebat" 116; 148), legat *Exc. Char.* K. I 556: „invenimus tamen apud auctores maturrime tantum adverbialiter, cum debeat maturissime." Equidem non puto quod „debeat" eum commendare. PRISC. II 419 habet: „a „maereo" [unde „maeror"] „maerui debet facere, sed in usu non est „maerui". Similia leguntur II 505. Comparandum: „quamvis ratio ... exigat" II 514; „quae regula exigit dici", II 565, utrumque in verbis quae ignorat usus.

2. *Debebat; debuit; deberet; debuerat; debuisset.*

Quamquam debendi verbi usus, quem modo tractavimus, optime cum Latinitatis ratione congruit, saepenumero (fortasse ut nulla relinquatur dubitatio) artium latores verbis utuntur supra enumeratis. Qua in re *mirificum est videre, ut per tempora modosque semper longius recedatur ab iis, quae re vera exiguntur.* Exempla pauca sufficiant: CHAR. K. I 114; B. 146: „repenter debuit dici ... dicimus repente e. q. s."; 144; 182: „senex senecis facere deberet." SERG. IV 559: „adquiescere aliter in usu nostro est, quam esse deberet." Notandum quod hoc loco agitur de significationis mutatione, et ipsa ad rationis normam exacta. VIII 239: „Nam draco „draca" debuisset facere, et

[1]) Cf. GELL. *N.A.* VII 1.

[2]) Cf. *St. V. Fr.* I 42. 29. II 264. 22.

facit „dracaena". Cf. etiam 259, 269. Nescio annon priorum saeculorum grammatici coniunctivo plusquamperfecti ea ratione usi sint.

3. Accidit, ut idem verbum adhibeatur in iis, quae usus vel anomalia genuit. Non huc refero, quod VARRO „per omnes casus (git) nomen ire debere commeminit" (CHAR. K. I 131; B. 167). Nempe et monoptota regulae cuidam parent. At PROBUS *Inst. Art.* IV 103 (cf. praeterea IV 61) docet unum nomen anomale debere declinari (i. e. deus). Adicit tamen fieri id „propter rationem sonorum" cf. supra p. 83. Non omni igitur ratione caret debere illud. Sed quod VIII 267 Orion „antepaenultima producte dici" debere monet, id ad „naturam" quidem syllabae et legem certam pronuntiationis pertinet, verum intelligendum est ut haec CHARISII verba (K. I 82; B. 103): „conlactaneus dici debet. nam collactius nemo dicit". Est fatendum his locis *consuetudinem* loquendi esse, quae leges det. Multos tamen eiusmodi locos vix inveneris.

4. Ea instructi notitia ad AELIUM STILONEM redeamus, de quo pauca temptaveramus supra p. 43 sq. „Ferientium ferienteis idem Stilo putat facere *debere*, ut docenteis saltanteis, quoniam quaecumque secum verbi iura traxissent, ea accusativis pluralibus, adiuvante [re] dumtaxat genetivo plurali, in eis sonarent" (CHAR. K. I 130; B. 165) sic interpretatur REITZENSTEIN (*Varro* 52_3): „Das kann ebensogut heissen „es müsste nach der Regel so lauten, lautet bei namhaften Autoren aber nicht so", wie „es muss nach dem allgemeinen Gebrauch." Für jenes spricht Varro, der inkonsequent sowohl die Regel als die bezeugten „Ausnahmen" gelten lässt (CHAR. 128. 19)." *Probasse videmur, nisi omnia fallant, debere illud ad regulas analogiae spectare.* Quid vero refert, quod VARRO ut regulam ita exceptiones esse patitur? Num idcirco analogiam prodit? At tota STILONIS sententia aequabilitati servit ita, ut nihil supra (cf. infra p. 98). Paulo uberius ea exposuimus, ut appareret, quam veri esset simile Stoicos Romanos, ut profectos e schola, quae rationem omnibus rebus anteponeret, eam in grammatica quoque coluisse et ob id ipsum disciplinam analogiae libenter ac prope necessario esse amplexos.

§ 9. ANALOGIARUM CONFLICTIO. IUS. „POSSE DICI".

Dissentiunt saepe grammatici, cum alii aliis nituntur rationibus ne adversariis quidem prorsus spernendis. [1]) Sic modo „omneis" defenditur, modo „omnis" (CHAR. K. I 140; B. 177). Atqui duabus rationibus aeque validis se offerentibus dubitanti grammatico veluti trivium

[1]) CONSENT. V 356 non dubitat scribere: „et hic est locus in quo efficitur ut plerumque regulae sibi videantur esse contrariae."

ostenditur. Alteram formam potest eligere ut potiorem, utramque probare, utramque vitare.

a. Examinanti ea propendere potest ratio, cui accedat vis *consuetudinis* (CHAR. K. I 84; B. 105) vel *euphoniae* (CONS. V 363 „quae portio eligenda sit, per euphoniam iudicabimus") [1]).

b. PRISC. II 354 „parentum" habet, quamquam „parentium non irrationabiliter" dici concedit. Nunciam venimus ad locum memorabilem apud POMPEIUM lectum (V 166). Quaeritur cur dicatur „duo" et „duos", „ambo" et „ambos". Iam attende, quomodo rem expediat: „haec causa est, nec illud verum est, nec illud verum est; et *quoniam nec illud* verum *est nec illud, utrumque* recte et in iure sic est: quotienscumque utraque regula infirmatur, utraque recipitur." Simul inde apparet „rectum" dici quod concessum vel praeceptum, etiamsi a ratione abhorreat [2]).

Neque comparatio regularum, quas *ius* et analogia hominibus imponant, temere est facta. Nempe vulgo grammatici non modo *esse* analogiam statuunt sed *leges dare* fatentur. Itaque GELL. (XII 13) verborum proprias significationes mutatas componit cum legum iussis oblitteratis; alioque loco poëtam quendam inducit negantem a Caesare esse „ius provocandi" (XIX 8). „Artis *latores*" (PROB. IV 50) dicti videntur quasi legum latores. Quod copiose exposuit SCHANZ de analogia et anomalia certamen ortum esse etiam in iuris prudentia [3]) id si, quod mihi quidem videtur, verum est, eodem pertinet [4]).

c. Tertiam ingreditur viam PRISC. (II 237), ubi statuit v. q. e. ador saepe indeclinatam manere „duabus . . . sibi adversis regulis repugnantibus" (cf. II 372). Ea ratione VERGILIUS creditur antiptosi usus nominativum q. e. „fluvius" pro vocativo posuisse, quod vocativus vacillaret.

---

[1]) Cf. PRISC. II 181: „. . . quod tamen ipsum *non absque ratione* non declinatur. nam cum duae contra se pugnant regulae, ut unam servet, necessario perdidit alteram."

[2]) Cf. supra 89 sq.

[3]) *Gesch. d. Röm. Litt.* II 1^3 531; II 2^3 470 al.

[4]) Nonne Q. Mucius Scaevola Pontif. Max. (de quo vide SCHANZ o. l. I 1^3 341 sq.), et Ser. Sulpicius (CIC. *Brut* 152) uterque artis regularumque studiosus, ante Labeonem analogiae iuris sectatores fuerunt? Sulpicius praeceptor fuit Pacuvii Antistii Labeonis, patris nobilioris Labeonis; ad patrem scripsit de grammatica epistulam Sinnius Capito, qua eum analogiam adhibuisse fragmenta declarant (FUNAI. 458). Non fortunae, opinor, ea sunt tribuenda. At Sulpicium SCHANZ (o. l. I 2^3 211) inter Asiaticos oratores numerat, perlevi sane argumento confisus, quod scilicet contrarium non traditum est! Quomodo id scribere possit, qui exemplaria eius eloquentiae, duas epistulas, „Muster schlichter und sachgemässer Darstellung" existimet I 2^3 482), non satis intellego; sed quod pluris nostra interest: non est credendum Asiaticum fuisse eum, qui, nisi omnia fallunt, in iurisprudentia analogia duceretur.

Ut igitur ad rationum conflictiones revertamur, operae pretium est videre, quam innumeris locis duplices formas grammatici probent, sive duplices accentus, genera, orthographias, compositiones, cuius rei testimonia passim abundantia exscribere hoc loco non libet [1]).

Non est praetermittenda formula illa, quam grammatici haud semel ponunt, quamque nonnulli iniuria *anomaliam* olere censent, verba dico *„posse dici"*, ne VARRONI quidem inusitata (CHAR. K. I 58, 109; B. 73, 139). Tametsi est, ut „posse" illud magis ad auctoritatem usumve spectet, velut (CHAR. K. I 58; B. 73): „Lucretius „cameraeque . . ." dicendo etiam cameram dici posse ostendit" et PRISC. II 522: „supinum eius tam „esum", ut supra dictum est, quam „estum" usus exigit ut possit dici". Saepius autem aliquid dici posse creditur adiuvante sive *etymologia* (CHAR. K. I 58; B. 73) sive *analogia:* CHAR. K. I. 113; B. 145: „quae (sc. naviter humaniter aliaque id genus) quamvis antiquitati adsignent grammatici — inquit — tamen dicunt etiam secundum suam rectam analogiam proferri posse, ut nave e.q.s." Vide, ut formula ista consuetudinem non protegat, verum emendet! Unum exemplum adiciamus et quidem PRISCIANI verba (II 529): „sed Probus „occini" quoque existimat posse dici, cum simplex „cano cecini" faciat, quomodo a „cado cecidi: incido incidi" et a „tango tetigi: contingo, contigi": Quem praetereat similitudo sententiae Scipionis „pertisum" scribentis, quod ex analogiae studio fluxisse REITZENSTEIN negat [2]), quamquam nihil *ἀναλογώτερον*. Simul demonstratum fuerit *non ob ea verba* AEL. STILONEM de *γραμματικῶν ἀναλογιστικῶν* numero esse eximendum. (Cf. supra p. 43 sqq.; 96.)

§ 10. ANOMALIA. INAEQUALITAS.

1. Omnes fere grammatici facere videntur cum PROBI (*Inst. Art.* IV 48) sententia: „nunc etiam hoc monemus, quod analogia maximam partem orationis contineat, *anomalia vero aliquam.*" Neque penitus corrupta tantum huc referuntur, sed etiam quae levius affecta putaveris velut „hic tonsor haec tonstrix" (PROB. IV 91).

Apertius quam fecerat VARRO posteriores inaequalitatem detegunt. Etenim ille sustulerat omnem anomaliam verborum q. s. sum-fui; hi

[1]) Quare cautos esse oportet in perfecta parilitate exigenda ab iis, qui analogiae patricinium susceperunt. Quod studium ut Caesaris esse ostendat scribit KROLL (*Stud.* 99): „So scheint er die Perfektendung — erunt ausnahmslos durchgeführt und — ere grundsätzlich vermieden zu haben e. q. s." Tamen promiscue formis istis usus nihil Caesar rationi detraxisset.

[2]) Cf. supra p. 47.

nihil tale excusantes (CHAR. K. I 260; B. 342) nonnulla verba „confusa temporibus" iudicant (257; 337). VARRO utut declinatio est corrupta demonstrare laborat non deësse analogias (IX 79; passim), SERG. IV 554 inaequale libere fatetur „quod transit in aliam regulam."

Adeo usu venit, ut paulo facilius nota ista inuratur. Quid enim, si PROB. (*Inst. Art.* IV 61) „hic senex haec anus" anomalum ducit, et SERG. IV 512 — omisso anomaliae nomine — statuit adverbia nonnulla naturam habentia comparationis comparari nequire, velut mane et vespere?

2. Non declinationis *unius* est anomalia. Quod quamvis facile pateat ei, qui analogiae vim et naturam *rationem* esse penitus perspexerit, tamen memorabilia haec sunt DIOMEDIS verba: „sum verbum in primis *corruptum* est, non tantum propter ceterorum declinationem *sed et ipsa positione* quoniam nullum in toto sermone tale est, nisi quae ex eo conposita sunt" (I 385). Atque DONATUS „subiunctivas" praepositiones, ut „tenus", numerat inter ea „quae inaequalia nominantur." Cf. supra sub 1.

3. Quaenam ratio intercedit inter *defectiva* et inaequalia? Passim illa cum his coniunguntur, nonnunquam permiscentur. Distinguuntur VIII 233: „Hucusque de defectivis dixit. Nunc de anomalis i. inaequalibus exequitur," quod facile in comparatione fieri potest. Satis diligenter PROB. (*Inst. Art.* IV 48): „anomalia est miscens vel inmutans *aut deficiens* ratio per declinationem." Deficientem rationem exhibet v. q. e. „nefas". Et POMP. „scire debes — inquit — quoniam anomala et deficiunt et inaequalia sunt" (V 152). Alii autem minus distincte, ut CHAR. (K. I 259; B. 341) „defectiva seu corrupta" memorat, [1]) ut

[1]) BARW. *R. P.* 186 sq.: „Pansa — inquit — hatte die früher als anomal geltenden Erscheinungen (*defectiva, singularia* und *pluralia tantum*) ... soweit sie gleich geartet waren, in Gruppen zusammengeordnet und damit auch diese bis zu einem gewissen Grade ins Regelhafte erhoben ... Ebenso Palaemon ... Dementsprechend wird auch bei den anomalen Erscheinungen des Verbums verfahren; vgl. Char. III 6 und 7."

De singularibus et plur. tantum assentior; verba vero anomala et defectiva non in regularum formam, opinor, redegit qui corrupta et *confusa* dicit. Neque certis finibus defectiva (III 6) a confusis (III 7) auctor distinguit, siquidem et hic et illic eadem verba est ut tractet. Si ea vere disputavi, falso addiderit BARWICK: „Die theoretische Rechtfertigung seines Verfahrens ist in der Einleitung Char. 50. 24 angedeutet: *adprobatur autem defectionis regula argumento similium.*" Id non dicere verba ista mirabilia, quod vult BARWICK, et hinc apparere puto, quod nihil erat, cur *analogiam* tractans verba *defectiva* induceret. Immo *anomaliam* nisi fallor spectat, quam ille illo loco confusionis crimine absolvere non potuit. Quid ergo? *„Regula"* dicitur ea qua „Latinae facundiae licentia *reg*atur aut natura aut analogia ... aut consuetudine ... aut certe auctoritate e. q. s." (K I 1; B. 1) atque ordinis constantiaeve hoc loco ne tantulum quidem continet. Plura de eadem voce supra p. 86 sqq.

CLEDON. (V 64) „continuo" et „falso" adverbia „anomala" in comparatione dicit. Cf. praeterea EUT. V 448, *Exc. Bob.* V 634. Quin MAR. PLOT. SAC. (VI 430), ut PROBUS anomala, sic ipse defectiva in spècies quasdam digerit, quarum prima est in „elocutione" (fero tuli), altera in „specie" (soleo, solitus sum) tertia in „tempore" (odi). Simili ratione DONAT. IV 385. Postremo nihil iam differunt defectio et inaequalitas apud POMP. V 230 („sum, et hoc defectivum est ea ratione, quoniam nulla pars ita exit secundum ipsam regulam e. q. s.") Quae permutatio hac re quodammodo excusatur, quod in anomalis „ratio *deficit* analogiae" (EUT. V 448).

4. Licet non dissimuletur anomalia, nonnunquam speciosiore nomine quasi velatur. DIOM. (I 246) postquam iterativam verborum formam et meditativam tractavit ad *transgressivam speciem* deflectit eorum, quae „formam suam ... servare non possunt" (audeo ausus sum). Nonne lenius id nomen quam anomaliae, vel si, ut CHAR. (K. I 262; B. 346) inter *„confusa"* ea numeravisset? Huc quoque pertinere videtur, quod PRISC. III 144 scribit: „principalia vero pronomina, id est „ego, tu, mei, tui" ... *positive* magis per singulos casus declinantur, cum non potest „ego" secundum rationem casualium „mei" genetivum adhibere e. q. s." Quid, obsecro, sibi velit „positiv", qua voce GEORGES [1]) hoc loco vertendum docet? Immo potius hoc grammaticus vult intellegi genetivum ceterosque casus magis *positione* nominativo esse affictos quam analogia inde declinatos, quam ob rem p. 145 addit: „ergo „mei" genetivus *non declinatus,* sed positive *factus* e.q.s." *„Extra quam formam sunt* bonus et malus: dicimus enim bonus melior optimus, malus peior pessimus". Iis DONATUS (IV 374) verbis usus parcit nominibus, quae alii anomale declinata dicunt. Similia apud SERG. IV 551. Clementer CONSENT. quoque (V 345): „potest et haec *varietas* admitti, ut plerumque in uno atque eodem numero per quosdam casus diversitas generum inveniri posse dicatur, ut ecce vulgus". Atque PS. PALAEM. (V 545) v.q.e. „fero" caute *„magis* per anomaliam" declinatum iudicat.

Constat inaequalitatem Latine dici quae apud Graecos *ἀνωμαλία,* qua re admiratio quaedam nobis subit legentibus apud SERV. IV 437: „sunt item alia *inaequalia,* quae ideo sunt inaequalia, quia primam syllabam non reservant, ut nolo volo ... sunt alia *penitus anomala* [2]), de quibus nihil possumus dicere, nisi quod lectione detinentur e. q. s." Vix ea interpretatus sis, nisi sumas Latinam vocem non tam odisam esse, non ita propriam atque Graecam, quae eadem causa PS. PALAE-

[1]) *Handwörterb.*[8] s. v.

[2]) Habet igitur sicut analogia (p. 77) ita anomalia suos gradus.

MONEM impulerit, ut scriberet (V 539): „horum vero nominum et pronominum anomalia est, id est inaequalis declinatio *contra regulam.*" Alioquin quorsum haec verba subiunxit? [1]) Quodsi quis verba Graeca barbaraque eandem proprietatem atque odium habere posse negat, quia suae quisque linguae vim et indolem optime persentiat, concedo equidem (quod LUCRETIUM lepidis versibus IV 1160 sqq. illustrare voluisse paene dixeris) plerumque verum id esse, sed exceptiones non desunt, ubi res quoque aliunde est invecta vel certe patefacta [2]).

Qui *εὐφημισμοί* utique hinc oriuntur, quod grammatici verentur, ne analogiam tueri nequeant, nisi anomalia, ut possint, sublata [3]).

5. Quo anomaliae quantum fieri possit ignominiae eximant, causas et *rationes* grammatici haud raro conquirunt. Ex quo genere est PRISCIANUS, qui mirum quantum valet in *differentiis* expromendis nemini unquam excogitatis atque omnem fere inaequalitatis labem abolentibus. Unum protulisse exemplum istius frequentis fatuitatis hoc loco sufficiat. „Rationabiliter" se tractaturum professus anomala quaedam hisce verbis de v.q.e. „fero" incipit: „fero" per concisionem ... „fero fers fert" pro „feris ferit", quod puto *differentiae causa* fieri, ne, si „feris ferit" diceremus, putaretur ab eo esse, quod est „ferio feris", *cum nulla scripturae* (sic!) *esset differentia,* quamvis temporum syllabicorum esset." Nil fere est, quod non eadem amentia temptet. Atque adeo auctor quidam (VIII 77) scribere non dubitat: „Nam *euphoniae* ratio inaequalitatem deposcit." Ubi rationis vis eadem fere est atque respectus. Ceterum hac de re iam satis egimus superioribus paginis. Aut in hanc se coniciunt latebram grammatici, *ut alteram anomaliam altera excusent.* Non contra regulam esse *ὁρῶ* et *ἑώρων* sibi demonstrasse videtur MACROB. (V 604), quia ostendit non solum in verbis hanc supervacuam adiectionem, ut ipse dicit, sed etiam in nominibus usurpatam esse. Cf. V 606: „... excepto *οἶδα* ... nec mirum, cum hoc verbum in multis regulae resistat"; praeterea 629. Eadem autem ista verba q.s. *„nec mirum"* vel consimilia nescio quo modo spargit per libros suos PRISCIANUS, ubi quid excusatum vult comparatione aliqua (II 304, 354, 455, passim). Cf. praeterea IV 128, ubi PROBUS

---

[1]) CLEMENS *Ars Gr.* p. 31 distinguit: „*Anomala* ut „iuvenis iunior", „magnus maior", vel *inaequalia,* ut „parvus minor minimus", e. q. s." Inaequalitatis nomine significare videtur „das Suppletivwesen".(Aliter idem p. 87). Ipse differentiam eam excogitavitne? Comparat TOLK. POMP. V 154, 17; qua re tamen nescio.

[2]) Tristius nisi fallor sonat peregrina vox q. e. „revolutie" quam nostras „omwenteling".

[3]) PRISC. II 99 superlativos quales „minimus", „plurimus" anomalos iudicans, „postremus", „extremus" alios in regulae formam redigit. Et omnino haud multa nomine isto notari solent.

(*Inst. Art.*) statuit quaecumque nomina a verbis anomalis veniant, ea aut deficere aut certe anomale pronuntiari. Ea ratione nimirum paulum abest, quin tam aequalis inaequalitas potius analogia sit habenda! Quodsi non praesto est Latina anomalia, quae comparetur, idem praestare potest lingua Graeca (PRISC. III 88; MACR. V 629).

Maxime quoque hoc student, ut *in ipsis anomalis non deësse analogiam* et rationem probent. PRISCIANUS postquam unde et qua ratione tempora verborum deriventur ostendit, ita pergit: „confirmat autem supra dictam rationem cognationis temporum etiam inaequalium, id est anomalorum, declinatio e.q.s." (II 417). Et, quod animo proposuerat, ut *„rationabiliter"* tractaret de anomalis, id consecutus sibi videtur et „differentiis" suis commenticiis et investigatis regulis, quae in anomalorum declinatione valeant (II 454 sqq.). Quin ubi manifesta anomalia ne ab ipso quidem negari potest, in pronominum declinatione, tam scite eius causam agit, ut nihil magis necessarium vel naturale dicas quam eam ipsam inaequalitatem (II 145 sq.) Haud attinet plura eiusdem rei exempla afferre, quae ubivis offendas: „ipsa inaequalitas ex ratione descendit" (POMP. V 193 de v. q. e. domus).

§ 11. CONSUETUDO. USUS.

1. Consuetudinis quoque multiplex est vis, quam quo minus distinxerunt antiqui, eo accuratius exsequamur nos oportet. Refertur ea vox modo ad eam quam CHARISIUS dicit naturam, modo ad declinationem sive aequalem sive anomaliae obnoxiam, modo rationi opponitur, modo denique ipsam regulam significat.

a. „Scrupulus hic an et hoc scrupulum? consuetudo quidem hoc scrupulum, erudita vero hunc scrupulum dixit . . . in eius modi quaestiunculis nihil potest analogia e.q.s." (PROBUS *De Nom. Exc.* IV 212). Nempe de impositione seu natura agi credit, quamquam ea re fallitur [1]).

SERGIO IV 488 persuasum est „consuetudinem de ea re quae frequentatur nomina inponere" [2]).

---

[1]) Neque alii quidem grammatici primitiva voce quae in us desinit (scrupus) pro norma utuntur.

[2]) Cf. CIC. *De Nat. D.* II 71: „. . . quoque eos (deos sc.) nomine consuetudo nuncupaverit, hoc eos et venerari et colere debemus."

Errare mihi videtur BARW. *R. P.* 204 sq.: „Dagegen deckt sich die *consuetudo* Capers ungefähr mit der *natura* des Pansa. Denn sie bedeutet ihm den gegebenen, allgemein üblichen Sprachgebrauch e. q. s." Ergo consuetudinis *pars* aliqua ad naturam pertinet.

Eius error, per se non magni momenti, eo fit gravior, quod p. 208 legimus: „Wir hatten oben festgestellt, dass die *natura* Pansas der *consuetudo (usus)* des

b. CHARIS. refert in vulgari consuetudine esse „inerter", quod recte prolatum num dicendum sit idcirco dubitat, quia auctoritas eruditi alicuius accedere debeat (K. I 185; B. 239). Vide ut eruditio ista ab analogia possit recedere, quam quidem rem etiam melius convincit „audacter" adverbium, ut ipsius verbis utar „eruditorum consuetudine sine i littera elatum." Quid multa? Iam pridem VARRO id animadverterat (IX 3).

c. De consuetudine rationis experti enucleate apud CHARISIUM (K. I 51; B. 62 sq.) et DIOMEDEM (I 439) tractata cum saepius iam egerimus, paulum sumus profecturi, si ceteros eiusdem generis locos enumerabimus in re tam trita. Unum potius eligamus, qui quantopere cognatae sint etymologia et analogia denuo ostendere videatur, verba dico DIOM. I 451: „barbarismus est dictio vitiosa ... consuetudo hunc tantum barbarismum appellat qui fit in una parte orationis e.q.s." Scilicet cancellis circumscribit angustioribus consuetudo id, quod definitio sive *ratio etymologiae* latius manare vult.

d. Haud ita nobilis est alius eiusdem vocis usus, quo *regulam* significat [1]). EUT. V 474 „praeter consuetudinem" latinam dandi verbi composita nonnulla in tertiam coniugationem abire statuit, quamquam inconstantiae elevandae causa, ut opinor, imitatione Graecorum id fieri suspicatur. Eam ipsam ob causam consuetudinem nuncupasse eum credo quam alios regulam. Ea consuetudo non pertinet ad unam vocem, quam homines proferre *solent* (sicuti sub a, b, c), sed ad plurium aequabilitatem. Alioquin tam diversos sensus non habes quomodo expedias [2]).

2. Quadruplicem inveneramus consuetudinem *ad verba* spectantes; sin *ad homines* refertur fuerit duplex, altera vulgaris sordidaque (CHAR. K. I 51; B. 63), ne a QUINTILIANO quidem adsumpta (I 6. 44), altera „quae horridiorem rationem sono blandiore depellat" [3]) (CHAR.

Plinius-Caper entspricht, und dass aus ihr die Gesetzmässigkeit der *analogia* abgeleitet ist: *„analogia sermonis a natura proditi ordinatio est* (Char. 51. 3)."

At nullo modo CAPER consuetudinem quasi analogiae matrem existimavit, siquidem, ut ipse B. confitetur (205), alteram est ubi alteri opponat! Neque debuit B. *usum* illum (quem fr. DONATIAN. VI 275 lectum PLINIO CAPROQUE assignat) exaequare *consuetudini* aliorum, quasi et usus ibi sit *regula* sermonis, cui *auctoritatem vetustatemque* adiungere omiserint ROMANUS et CHARISIUS, a PLINIO CAPROQUE tractatas.

[1]) Sic v. q. e. *mos* (DIOM. I 378 „contra morem declinationis"; PRISC. II 303: „quod magis more antiquo rationabilius esse videtur") et *ritus* (PROB. IV „Graeco ritu"), quae tamen vocabula plus habent auctoritatis et iuris.

[2]) Fieri possit, ut propter *duas* causas consuetudo commemoretur: CASSIOD. (VII 162) „sequente vero f — inquit — nostra consuetudine in eandem litteram mutat, ut effundo."

[3]) Cf. infra p. 113 sq.

1. 1.) sive consensus eruditorum. Quam sicut totam diligentius rationem observare apparet consuetudine imperita, tamen non in singulis vocibus id valere et supra vidimus (p. 103) et ostendit PROBUS *De Nom. Exc.* IV 212) [1]).

3. *Utrum ius habet consuetudo an vi imperium eius nititur; reginam vocemus an tyrannam?* Gravissima ea quaestio non satis certis verbis absolvitur et quidem hanc ob causam, quod quotiens ad *doctrinam* et ius strictum animum intendunt, nil ei iuris inesse fatentur, quippe quae constet mera „multorum consensione", ab omni divina contagione seiuncta; quotiens autem *vitae usus* spectant, obsequendum ei esse neque audent negare neque possunt. Idem CHAR. qui *vires* tantum consuetudini tribuit (K. I 51; B. 62), *regulam* eam loquendi censet licentiam coërcentem (K. I 51; 1; B. 63; 1), quae nonnunquam „*signata* potius quam usurpata videatur" (57; 71) [2]).

„Vectigale" quamquam ratio poscit „tamen consuetudini *extorqueri* non potuit, quin vectigal ... dicamus" (62; 77). Quasi de latrone agatur! Quodsi quis iura consuetudinis verbis extolli putat quo loco rursus legimus: „sed *ridiculum* est legem adversus consuetudinem ferre, quae sola in nostro sermone *dominatur*" (183; 237), non recte monere videtur, quia nil nisi praepotentem dominationem, contra quam nullae quicquam leges possunt, consuetudinis esse apparet. In eandem fere sententiam dicit (GELL. XII 13) Sulp. Apollinaris omnium rerum dominam esse consuetudinem, qua legum quoque ipsarum iussa oblitterentur. Quod VARRONIS auctoritas ostenderat iter, inde seriores grammatici non discesserunt [3]).

---

[1]) Nisi forte hoc dicit PROBUS „salitorem" *ne erudita quidem* consuetudine sperni; haec tamen utique rationem neglegit.

[2]) MACR. V 628 *usu* deficientia verba tractans „*reverentiae* — inquit — obsequimur vetustatis". Veneratio ista antiquitatis, qua nihil est magis Romanum, ne plus valeret impedivit rationis ingens studium Zenonis discipulis non indignum.

[3]) Unde ista consuetudinis reverentia? BARWICK *R. P.* 258 ita disserit: „Man versteht nun, wie jener griechische Grammatiker, den Varro in seiner Schrift *de sermone latino* benutzt, zu seinen vier Kriterien des ἑλληνισμός: ἐτυμολογία ἀναλογία διάλεκτος (= die Varronische *consuetudo*) ἱστορία (= die Varronische *auctoritas*) gekommen ist: die beiden ersten sind alexandrinisch, die beiden letzten stoisch". Pluribus de causis non mihi recta ea videntur. De etymologia falso m. q. s. pro Varronis natura substituta egimus supra p. 12 sq. Num historia idem valeat atque auctoritas faciunt ut dubitem SCAURI verba (VII 12) q. s. „et historia quidem, ut cum sed per novissimam litteram *d* scribimus, quoniam antiqui sedum dixerint e.q.s." Cf. supra p. 109 1. Quod tamen neque Stoici in Latinitate (Graecitate) etymologiae regulam adhibuerint neque Alexandrini grammatici consuetudinem, id vero nullo modo possum mihi persuadere. Qui etymologiae studio tam impense operam navabant, quique differentiarum

4. *Quousque consuetudo in orationis usu sit sequenda* prorsus alia exoritur quaestio, de qua prō suo quisque ingenio decernit. Itaque longe abest, ut grammaticorum omnium omnes rationes comprobentur neque in uno quidem libro praecepta semper sibi constant, siquidem alias CHAR. „iter iteris" declinat (K. I 83; B. 104), alias rationem aspernatur (28; 28), alias „lacte" (25; 25) alias „lac" (34; 38) utitur nominativo. Plerique tamen sapientem moderationem adhibent in oratione excolenda. Neque quisquam, quod sciam, infinitam sibi assumpsit potestatem ditandi patrium sermonem novis verbis quamvis ad rationem respondentibus: defectiva nemo est, qui expleta velit [1]). Quare quid in novandis verbis quisque sit ausus cave ex analogiae studio conicias.

Ceteroquin non desunt loci, quibus mira confidentia suo Marte linguae emendandae munus suscipiant atque, ut monstrorum selectionem parvam instituamus, dici iubeant verba qualia sunt: tonsrix, supellectilis (nom.), ancipes, iocinus sive iociner (CHAR. K. I 44; B. 53; 47, 48; 58, 60); doceaminor (DIOM. I 355 [2])), veter (PRISC. II 97), nubs, corbs (*Fr. Bob.* V 561), mius (pro ego VIII 195), uspis (unde uspiam VIII 196), mus-mi-mo („pro quo autem in usu habetur meus" ibid.). Haud mediocriter genera vexabant qui omnes „res materiales, ut lapides et arbores et si qua sunt similia, neutraliter dici debere censuerunt, unde dicebant ... hoc lapis et hoc arbor et hoc cera e.q.s." (VIII 82 sq.) [3]). Neque syntaxi parcit PRISC., qui „Priscianus scribo" et talia „incongrue" dicta putat, quamquam consuetudine probantur.

5. Elucet non posse a *vetustate* consuetudinem divelli, si quidem commode QUINTIL. I 6. 43: „quid est aliud vetus sermo — inquit — quam vetus loquendi consuetudo"? V 325 Consuetudo antiquitatis commemoratur, vetus consuetudo IV 387. Num eam ob rem iuxta

---

investigandarum primifere auctores fuerunt (BARW. *R. P.* 262 1), eos nullam veriloquiorum rationem habuisse in scribendo? Et quisnam homo tam ineptus sit, ut consuetudinem respuat, unde si quis non proficiscatur insanire videatur? DIOGENIS BABYL. hellenismi definitionem (cf. supra p. 41) nemo fuit Alexandrinorum, qui impugnare posset. Denique v. q. e. τεχνική nonne declarat praeter auctoritatem etiam rationem a Stoicis esse observatam?

[1]) Modestam libertatem sibi petit PRISC. (II 442).

[2]) Cf. KÜHNER-HOLZW. *Ausf. Gr. der Lat. Spr.* I² 679.

[3]) Mirificum est videre, ut anomaliae et analogiae sectatores nonnulli hac in re inter se congrediantur, illi tamen ut omnem rationem naturalem tollant, hi quia „rationabiliter" quid sit genus e *generandi* notione colligunt, quo facto inanima cuncta natura neutra dici oportet (VARRO IX 41, fr. 7, 8).

Hodie quoque dissimillimi inter se vv. dd. (BRUGMANN, V. MICHELS-WUNDT, GERLACH ROYEN) IACOBO GRIMM rebus inanimis genera naturalia attribuenti fidem abrogant.

vetustatem consuetudinem enumerari vetemus ? At consuetudo *hodierna* hac voce indicatur.

Neque magis ab *auctoritate* consuetudo tam alto quasi muro intersaepta est, quam quis crediderit: „hodie illud sequimur, quod dixit *Vergilius* lac, et remansit illa consuetudo" (POMP. V 199). Atque adeo CONSENT. V 387 non dubitat de „consuetudinis auctoritate" mentionem inferre. Ubi tamen opponuntur inter se, quid altera ab altera differat satis apertum est.

Usus.

1. Usum et consuetudinem saepe permutari posse consentaneum est, neque opus fuerit eos locos exscribere, quibus, sicuti consuetudo depravata, rationi usus contrarius videatur [1]). Unde intellegitur formula ista usitatissima, qua dicitur consuetudo *„usurpasse"* vocem aliquam anomalam. Non tamen praetermittendum, quod et a consuetudine discedere potest usus et analogiam quoque complecti. Nec mirum si ad etymologiam spectas.

2. CHAR. K. I 183; B. 237 „difficulter" adverbium a *quibusdam* adhibitum „in usu" esse dicit. Et PRISC. II 238 vocem aliquam „raro in usu" invenit [2]). Cf. II 562: „. . . auctores quorum maxime usus regnavit . . ."

3. Si quaedam nomina enumerat PRISC. II 310 „quorum aliqui casus in usu deficiunt", sequitur, ut qui leguntur casus secundum rationem ii quidem sint in usu. Tribus rebus latinitatem constare dicit POMP. V 232: „usu arte auctoritate." Ubi quamvis in promptu sit usum, ut consuetudinem, arti vel rationi opponere, non id voluit POMPEIUS, nam defectiva quaedam quoniam *nec in usu nec in arte* invenit ad auctoritatem recurrit, ut ea tantum dicat, quae sint lecta. *Est usus ergo consuetudo tota, et Charisii naturam continens neque rationis expers* [3]). Similiter cum requirit SEVERUS „verbum sermonis usu an ratione alicuius regulae dirigatur" (MACR. V 634), vel cum grammaticam quis hisce verbis definit: „. . . est scientia recte scribendi et enunciandi interpretandique poetas per historiam* formatam ad

---

[1]) Vide insignia exempla CHAR. K. I 83, B. 105; 122, 156; PRISC. II 174 docet nomina quaedam semper esse singularia *„vel natura vel usu* . . . usu. quae singulariter proferri tradidit usus e. q. s." Cave autem hunc usum usui ei exaeques, quem, cum natura coniunctum, VARRO fundamentum analogiae censeat (IX 63). PRISC. de *consuetudine sermonis* agit a rerum natura discedente, VARRO *usum rerum* imprimis indicat.

[2]) Apud VARRONEM X 73 tres vocantur usus species: „una consuetudinis veteris, altera consuetudinis huius, tertia *neutra* . . . qua *utuntur* poetae."

[3]) Male WOLDT (*o. l.* 19) hoc de loco: „cum usus et auctoritas ad anomaliam pertineant, „artem" analogiam significare necesse est."

usum rationemque verborum e.q.s." (V 547), usus ille non caret ea ratione, quam rudissimus quisque sequitur.

Iam nisi fallor melius quam fieri assolet CICERONIS „locu(m) late paten(tem) de natura usuque verborum" [1]) interpretabimur, si non ad anomaliam tantum referemus usum sed ad populi consuetudinem, quae, quamvis inaequalitatis satis interdum incuriosa, ratione illuminatur. Num credendus est M. TULLIUS TIRO, qui libros aliquot „de usu atque ratione linguae Latinae" composuit, *anomaliam* proposuisse in titulo operis? Neque magis GELL. I 18, 3 Varronem collaudans, quod „de ratione vocabulorum scitissime, de usu utriusque linguae peritissime" scripserit, ut anomaliae intellegentem probat! Immo ostendit totum caput „rationem" pertinere ad etymologiae causas, „usum" ad ea, quibus veteres quibusque posteriores *usi* sunt. Cf. GELL. XII 13. 4 [2]).

4. Ut consuetudo ita usus ad vetustatem referri potest: VARRO X 73; MACR. V 628.

5. Duobus, quod sciam, locis ex usu loquelae origo ducitur, nobilissimo DONAT. fr. (VI 275): „loquendi facultatem usus invenit, ratio comprobavit" et MACR. *Exc. Bob.* V 631: „cum vel natura vel usus loquendi linguas gentium multiplici diversitate variasset e. q. s." Num sit, usus ille DONATIANI — utique seiungendus a CHARISII consuetudine — alia vox pro natura (supra p. 11 sqq.; 67 sq.)? Non vero; quoniam haec speciosior cum necessitate quadam coniuncta videtur, illa potius spectare ad temere balbutientes homines [3]). Unde apud CHAR. natura abit in immutabilem sanctamque orationis partem, at contra de usu nil tale legimus. Alicuius rationis particeps fuerit DONATIANI usus necne nescio. MACROBII usus — nisi potius natura est dicenda — diversi est generis, idcirco quod quas linguas produxit donat artis disciplina variisque amoenitatibus. Uno eo nomine cuncta comprehenduntur, quae apud alios Latinitatem efficere dicuntur. Quae cum sint tam diversa, dubitare videtur MACROBIUS, quo nomine communi appellet, quia nec natura neque usus ei satisfaciat. Quare erremus, si eum ascribamus iis grammaticis, qui analogiam nulla re alia esse factam quam consuetudine QUINTILIANO assentiantur. Vel si quis hoc addubitat, eadem illa *Exc. Bob.* perlustret, ut ubique sentiat si quemquam hunc auctorem analogiae fuisse studiosum.

---

[1]) Cf. LERSCH *Sprachph.* I 142; ECKSTEIN *Observ. gr. ad Cic. Orat. cap.* XLV-XLVIII Halle (1874) p. 9.

[2]) Hisce tribus locis FUNAIOLI *Gr. R. Fr.* p. 392 LERSCHIUM (o. l. I 95 sq.) secutus usu anomaliam indicatam vult.

[3]) Eandem sententiam fusius exponit VITRUV. (II 1); cf. LERSCH *o. l.* I 147 sq.

§ 12. Auctoritas.

1. Auctoritate valent non soli oratores et poëtae, sed habet et consuetudo suam auctoritatem [1]), habent Graeci (Prisc. III 25) nec non ipsi grammatici. Priscianus Apollonii auctoritatem sibi „in omnibus" sequendam putat (III 24), Donati sequitur Cledonius (V 10).

2. Ad *auctores* tamen plerumque ea refertur. Quapropter non discernimus vocis eius proprietatem, si tantum maiestatem quandam indicatam putamus. Immo potius est *„auctorum usurpatio"* (cf. Prisc. III 164). Ea apparet ratione quare, cum tamen omnes Latinitatis regulae propriam habeant auctoritatem, huic potissimum notioni auctoritatis vox sit reservata.

Et quidem primum, nisi fallor, indicatur *auctorum licentia* [2]). Sic formulae nascuntur ut: *„auctoritate uti"*, *„propria confisus auctoritate"* (Prisc. II 67; 176). Deinde auctoritas dicitur *auctorum dignitas*, qua alii nituntur [3]), denique *id quod auctores protulerunt*. Etenim Char. (K. I 51; B. 63): „tantum opinione oratorum — inquit — *recepta est*, qui et ipsi cur *id* secuti essent si fuissent interrogati, nescire (se) confiterentur." V. q. e. „id" vel sola ostendit de ipsis verbis agi, non de arbitrio auctorum. Consuetudinem vel certe usum auctorum non iniuria eam dixeris.

3. Estne certis finibus a ratione et a consuetudine discreta? Secus id esse non mirabitur quicumque meminerit aliorum nominum fata (cf. consuetudo, usus). Si Charisium (l. l.) audimus, nihil quidem habet aut rationis aut naturae aut consuetudinis. Ergo *licentiam* ille premit oratorum; neque enim „auctores" eos dicit. Alibi quoque saepenumero rationi opponitur (Prisc. II 88, 82, 508, passim in artibus), quod pernotum demonstrare supersedemus.

Verumtamen, quia auctores sescenties analogiam secuti inveniuntur consuetudine omissa, saepe ea auctoritas vocatur, quae sive anomaliae obnoxia *sive minus* apud auctores scripta legitur. „Auctoritate Plauti" nititur Diom. I 333 scribentis „neminis". Et Prisc. II 492 postquam a „luxi" v.q.e. „luctum" exigere rationem monuit haec addit: „sed auctoritas deficit". Similiter quod in consuetudine est auctoritatis nomine ornari potest, dum id auctores sanxerint. *Unde hoc secutum est, ut compluribus locis consuetudo nomine ignobiliore vitato specio-*

---

[1]) Cf. supra p. 106.

[2]) Id accuratius fuerit quam quod habet *Thesaurus* i. v. (col. 1224): „fere i. q. licentia" similibus exemplis usus. Omnino artium auctores h. l. minus copiose tractantur.

[3]) Cf. August. V 494: „. . . . auctoritate secundum eorum scripta, quibus ipsa est *auctoritas attributa* e. q. s."

sius auctoritas appellata sit. Iam consuetudinis poni loco videtur, ubi CHAR. (K. I 88; B. 110): „supellex — inquit — magis auctoritate dicitur quam ratione." Atque adeo PROB. (*De Ult. Syll.* IV 222) *naturam syllabarum* brevium longarumque „sola auctoritate investigari" posse sibi persuasit. Idem ex auctoritate fluxisse putat „domui" perfectum (238). „*Genera* autem aut naturalia sunt, aut ex auctoritate descendunt ... ut hic paries, haec fenestra." Ea sententia e SERVIO sumpta (IV 408) apud alios redit. Ut in POMPEIO (V 160), qui tamen in aliis rebus auctoritatem reprehendere non veretur (V 176). Quid ergo? *Duplicem auctoritatem,* sive id sentit sive minus, *induxit,* alteram omnium fere auctorum loquentiumque communem, alteram usurpativam, singulorum magis arbitrio constantem. Quod ita consuetudo et auctoritas confunduntur, eius causa fuerit simul *deficiens cognitio quasi nativa Latinitatis probandae,* quare magis e commentariis sapere coguntur homines, tantopere litteris constricti, ut iis persuasissimum sit „articulatam" dici vocem eam, quae possit scribi articulo sive digito! Ceteroquin consuetudine maiorem habet dignitatem auctoritas, quippe, etsi postquam omnia defecerunt aditur, „ara sacra" (CHAR. K. I 51; B. 63), unde sequitur, ut iam promptius anomaliae veniam dare possis. Hoc tamen est tenendum ne eam quidem analogiae aequiperari, ut quae omni „normae lege" careat (MACR. *Exc. Bob.* V 634).

4. Difficile negotium est a *vetustate* auctoritatem distinguere, si haec *veterum* est lectionum, ut ait (MAX.) VICTOR. VI 189 (cf. AUD. VII 323). Modo *antiquitati* tribuitur v.q.e. „duriter", modo auctoritati (VII 270; 411); cf. supra p. 105. „Auctoritas veterum" porro identidem commemoratur (PRISC. II 82 alibi) [1].

5. *Quando auctoritati sit cedendum* non uno verbo potest absolvi, cum praesertim hac in re suo cuique iudicio sit utendum. Neque vero cum aliud suadet ratio sive consuetudo, aliud auctoritas, catholica praesto sunt quibus nitaris. Nisi forte, ubi in aliqua voce diversae Latinitatis regulae velut trutina pensantur, altera lanx pluribus regularum ponderibus deprimitur. „Hoc rete" dicendum statuit CHAR. (K. I 61; B. 76): „quamquam enim neutralibus [masculina] *suavitate* enuntiandi similia sint, aliquid tamen *auctoritati* Vergilii nostri tribuendum

[1]) G. SCHADY (*De Mari Vict. Libri* I *Cap.* IV Bonnae 1869 p. 29) SCAURI „*historiam*" (VII 12) interpretatur, quasi sit „auctoritas veterum", sicuti KROLL (*Stud.* 94) auctoritatem Graece *ἱστορίαν* vertit; cf. supra p. 104a. Vix recte; certe e Ter. SCAURO id non apparet: „ut cum sed per novissimam litteram d scribimus, quoniam antiqui sedum dixerint." Si auctoritas significaretur, hodie quoque „sedum" esset scribendum. Melius BRAMBACH l. l. p. 2 „Sprachgeschichte", quamquam equidem malim cogitare de *inquisitione* vocum oblitteratarum. SCAURUS *ἱστορίαν* originationi proportionique opponit, id est *rationi;* VARRO *L. L.* VIII 6 simili fere modo *arti.*

est e.q.s." „Didus", „Sapphus" sunt qui Graeca ratione declinent. „Sed melius esset secundum Latinam consuetudinem huius Sapphonis, Didonis dicere. *Nam* et Pacuvius sic declinat... et Accius e.q.s." (CHAR. K. I 63; B. 79). Denique „favitor antiqui dixerunt; at fautor nec auctoritate nec ratione deficitur" (CHAR. K. I 86; B. 109).

Verumtamen vel sola auctoritas saepe praeponderatur atque id ita quidem, ut ex unius auctoris arbitrio omnia pendere videantur: „... quidam *stulte* hic turben dixerunt puerorum. *nam* Vergilius dixit e. q. s." (CHAR. K. I 64; B. 81). Nil usitatius quam „Sallustius neutrum esse *ostendit*" (PRISC. II 154) vel tale quid. Licet adeo auctoritati *casus permutare* (PRISC. II 348) [1]), *ἑλληνισμούς* inducere (PRISC. III 32), *figuris* uti, quas si quis nescius adhibet soloecismos committit (PROB. IV 447). Summa denique est eius vis, utpote ubi praestantissimi viri non erubescant fateri non invitos cum auctoritatibus se errare, quia honestum id sit [2]).

Quamquam crebro auctorum libido castigatur cum rationem neglegunt („sine ratione" CHAR. K. I 68; B. 86) sive consuetudinem vel naturam (CHAR. K. I 96; B. 123). „Ovidius autem — inquit DIOM. I 319 — vitiose hac re oleo e.q.s." Ac ne Vergilio quidem semper parcitur (Serv. IV 439). *Fragm. Bob.* V 557 audet grammaticus dicere: „... nec est eorum auctoritas admittenda, licet magni sint nominis."

6. Quid cuiusque auctoritas valeat ex parte positum est in rebus sententiisque, quas profert, magis quam in orationis ipsius pondere. Velut apud CHAR. (K. I 105; B. 134 sq.) legitur: „cuius moveremur, inquit Plinius, auctoritate, si quicquam eo carmine puerilius dixisset." Quare quam divinis prope honoribus colitur Vergilius „cuius auctoritati omnis retro aetas et quae secuta est vel sequetur libens cesserit" (MACR. V 617)! Nec quicquam melius Christiani, qui etiam Latinitatis novam auctoritatem assumant legem divinam quoquo modo in Latinum versam (CASSIOD. VII 210, 215). Cf. infra p. 142.

7. Neque in sola declinatione viget auctoritas — quemadmodum omnino haec disciplina multo latius patet — verum etiam in *syntaxi* spectatur (CHAR. K. I 265; B. 349; in ordine verborum PRISC. III 24; 164), in *generibus* nominum (vide supra), in *positione* verborum (VII 67).

[1]) Quod conceditur ei, ut praeter rerum naturam aliquod verbum fingere possit, ut „nuptus" vel „aror" (PRISC. II 370, 376), id non premendum puto. Cf. supra 23 sq.

[2]) Cf. QUINT. I 6. 2. CICERO *Tusc.* I 39. 40. Cf. *o. l.* 49: „Ut enim *rationem* Plato nullam afferret, (vide, quid homini tribuam) ipsa *auctoritate* me frangeret"; praeterea CIC. *Divin.* I 30, 62.

Atque ab isdem grammaticis, qui incredibili sagacitate „cacenphata" deprendere sciunt, nihil est quod satyricis dicere non concedatur (POMP. V 293).

§ 13. Vetustas (Veteres. Antiquitas. Antiqui).

Hac de re quam brevisimi erimus vix habentes quid novi proferamus. Neque tamen usitata vox prorsus omitti posse videtur [1]). Iam primum elucet saepe de nulla re agi nisi de *consuetudine veterum* (V 556; VII 73): „quid est aliud vetus sermo quam vetus loquendi consuetudo?" (Quint. I 6. 43). Ceterum quod eo loco dicit rhetor non tam simplex est atque liquidum quam videtur, quoniam „verba a vetustate repetita ... *auctoritatem* antiquitatis habent" (ib. 39). Diversae autem sententiae de vetustate leguntur. Modo *licentiosa* audit (Char. K. I 118; B. 151; Diom. I 311 al.) — etenim rationis servitus posterius antiquissimam licentiam compressisse dicitur [2]) — modo *non expertem* esse *rationis* apparet, nimirum ut omnem consuetudinem („sed apud veteres salva est regula, qui dixerunt face dice duce" Diom. I 349; „sed veteres ... analogiam sequentes e. q. s." Diom. I 375) [3]).

Observandum tamen, quod nonnunquam potius de *auctoritate* quam de consuetudine veterum est cogitandum, velut ubi Char. (K. I 144; B. 183) memorat v. q. s. „ancipes et praecipes, quod vetustas cum ratione rancidum protulit". Quicquid igitur in consuetudine et auctoritate sive laudatur sive respuitur id potest sperni vel accipi in vetustate.

Quid de eius maiestate? Minime ubique eam amplectuntur, quia nova tempora suam poscant orationem veterem horrorem aspernantia: „postera aetas ... veluti disciplinam pristini saeculi ita et sermonem fastidire coepit et nova velut parturire verba e. q. s." Diom. I 400; cf. Char. K. I 16; B. 13 sq.; Diom. I 435. Non tamen desunt loci, quibus dignitas quaedam antiquitatis agnoscatur. Quo tempore veterum licentia commemoratur, simul „vetus dignitas" non praetermitti-

---

[1]) Minus feliciter Kroll (*Stud.* 94 sq.) auctoritatem, vetustatem eam quae intermissa est (Quint. I 6. 39) illamque quae permansit (VII 74; Kroll per errorem I 74) permiscet.

[2]) Char. (K. I 93; B. 118) auctores, qui „frumenta, hordea, mella" usurpaverint abusos esse dicit „*licentia* vetustatis". Adnotat Kroll (o. l. 95 18): „Dagegen, dass die Modernen nicht diese *licentia* haben sollen, wendet sich Hor. A. P. 53"; iniuria, quandoquidem et licentia illa contra *rationem* peccat, memoratam a Charisio l. l., et Horatius *nova verba* („nach der Analogie des Griechischen" Heinze ad loc.) tantummodo ut producantur concedit. Neque magis Hor. *Ep.* 2, 2, 115 comparare debuit cum poëtarum iure rationis audacius observandae (100 29).

[3]) Itaque non semper decerni potest utrum quid archaismi loco an rationis causa dictum sit. Sallustii „neglegi", „intellegi" Kroll (*o. l.* 97) hoc e studio ducit; simplicius fuerit subicere ea perpetuo Sallustii antiquitatis amori.

tur (cf. CHAR. K. I 118; B. 151). Quin VEL. LONGO placet „ut in latino sermone antiquitatis *religio* servetur" (VII 74). Quo honore V. L. antiquitatem non oblitteratam afficit, eo QUINT. I 6. 1 vetera et obsoleta.

Denique ad diversissimorum temporum auctores vetustas potest referri. Vergilius non minus veteribus annumeratur quam qui antiquitus omnia verba o littera finita producta syllaba extrema proferebant (CHAR. K. I 71, 16; B. 90, 13). PRISCIANUS in antiquos refert Plinium maiorem, Lucanum in antiquissimos (II 98; 210), in veteres Lucilium, Ciceronem, Petronium (II 379 sqq.), ita ut singulis locis quid sibi velit vagum illud nomen requirendum sit [1]).

§ 14. EUPHONIA (SUAVITAS. SONORITAS. VOCALITAS).

1. Primo loco statuendum euphoniam non alienam esse a *natura*, quae sua necessitate absona quaedam naturaeque litterarum incongrua proferri vetet [2]). Sic PRISC. certe (II 369 sqq.); VIII 19 dicitur natura quasdam litteras aut syllabas „causa sonoritatis" detrahere vel addere.

2. Deinde observamus eandem euphoniam non modo dulces producere sonos, verum etiam interdum nil nisi absona arcere, quoniam „multa . . . euphoniae *causa deficiunt*" (PRISC. II 565; cf. V 72) [3]).

3. *Rationem* frequenter perfringit, quod demonstrare vix attinet [4]): „. . . euphoniae potius quam rationi succumbunt" scriptum legimus CHAR. K. I 177; B. 227, et haud semel ita inter se opponuntur. Unde tamen si efficiamus nihil euphoniae cum ratione commune esse sine dubio erraverimus. Quid enim, si ipsa consuetudo et auctoritas crebro cum analogia una iter faciunt! HERODIANUS regulam quandam servari „rationabilius esse sonoriusque" iudicat (PRISC. II 45). Quare non licitum videtur ubique, etiamsi altera alteri praefertur, prorsus eas seiunctas putare. Nempe si nos CLEDONIUS (V 47) mavult „suavitati quam rationi obsequi", quis in animum inducat eum anomaliae obsequii reum agere, quoniam hoc tantum docet, ubi dissentiant illae euphoniam nobis anteponendam.

---

[1]) Cf. de hac confusione BARW. *R. P.* 215; praeterea TAC. *Dial.* 16, 5 sqq.

[2]) Quae perperam „*per fortunam*" PRISCIANUS inconcinna vel aspera prolatu laudat non minus digna sunt, quae ad naturam referantur (II 372). Cf. supra p. 73.

[3]) In simili ratione PRISC. III 463 euphoniam vertit quasi sit „sonus".

[4]) Dignum quod attendatur (CLEDON. V 77): „tenus pube: propter bonum sonum, propter gratiam vocis, facit pube tenus." Nunciam *syntaxeos* rationem euphonia mutat. — Revixit ista apud recentiores; cf. JESPERSEN *Language*[2] 278: „It was not uncommon in the seventeenth and eighteenth centuries to ascribe phonetic changes to a desire for euphony e. q. s."

Quodsi talis rationis et euphoniae concentus *fortuito* magis exoritur, usu venit, ut interiore quadam coniunctione copulentur. Propterea quod non temeraria est res euphonia, sed et ipsa, quippe quae a natura proficiscatur, *leges suas habet* et regulas. Id est, quod habet PRISC. II 49: „ergo rationabilius esse videtur, „in"quoque, cum in quibusdam mutet n in r, ut „irrito", „irriguus" in reliquis quoque euphonia hoc exigente servare." Cf. II 18. Rationem mobilem, ut ita dicam, cum stativa ratione concurrentem videmus secundum sonorum leges supra aliquoties memoratas.

Ceteroquin quanta libido possit esse suavitatis sive eius assectatorum vel hic locus fuerit documento: „aurifex melius per i sonat quam per u. at aucupare et aucupium mihi rursus melius videtur sonare per u quam per i; et idem tamen aucipis malo quam aucupis, quia scio sermonem et decori servire et aurium voluptati" (VEL. L. VII 75).

4. In *consuetudine* suavitas mirum quantum valet, si audimus grammaticos; quod melius intellegemus reputantes consuetudinem esse, quae asperitatem pronuntiationis tollat levissima quaeque sectans. Eam DIOMEDES „euphoniam captan(tem)" facit (I 351) ac serior aetas genera per nomina eam distribuisse credit „ut suavitas aurium elegeret" (VIII 83).

Hic tamen nisi fallor cavendum ne in errorem quendam implicemur. *Scilicet persaepe potius bene quid sonat quia in consuetudine est quam quod bene sonans in consuetudinem sit receptum.* Optime VEL. L. (VII 76): *„sono usitatiore gaudet auditus"* [1]). Itaque quae CHAR. (K. I 51; B. 63) praedicat de consuetudine ea „quae horridiorem rationem sono blandiore depellat" et de adsiduitate, quasi persuasionem proprietatis faciente, huc ea pertinere reor. Estne per se „ancipes" durius quam „anceps" (CHAR. K. I 88; B. 110) an respuitur auribus quia insuetum? Quae quo melius appareant legimus apud CICERONEM scriptum (*Or.* 155): „At ille alter in Chryse non solum „cives, antiqui amici maiorum meum", quod erat *usitatum*, sed *durius* etiam „consilium socii augurium atque extum interpretes"; idemque pergit: „... quae non sane sunt in omnibus neutris *usitata*." Quo quid est

[1]) Cf. TE WINKEL en DE VRIES *De Grondbeg. der Nederl. Spell.*[5] (1884) 24: „Nu is in het oor van het beschaafde publiek elk woord betrekkelijk welluidend, wanneer het zóó wordt uitgesproken, als men gewoon is het door beschaafden te hooren uitspreken." *„Absurdum"* dicitur quod male sonat, sive quia *consuetudinem* violat („o populo" POMP. V 186) sive quod *euphoniam* (CHAR. K. I 16; B. 14). Cf. GELL. XVI 8 de Graeco v.q.e. ἀξίωμα: „Hoc ego supersedi vertere, quia novis et *inconditis* vocibus utendum fuit, quas pati aures *per insolentiam* vix possent."

Sic multi eam potissimum amoenitatem naturae rerum ammirantur, in qua sunt nati ac vivunt. Cf. FRIEDLÄNDER, *S. G.* IV 169.

lucidius? Aeque inter ea quae aurium convicio improbentur — etenim ea toto hoc loco tractantur — ponit litteras *obscenius* concurrentes (§ 154). Similiter *sonus et sensus* coniuncti *aurium* iudicio committuntur CIC. *De Orat.* III 150. Non satis distinxisse antiquos credo neque accurate terminasse hinc quae *aures ipsas* offendant, illinc quae *animum*. Quo minus nos debemus id neglegere! [1]).

5. *Orthographiae* ipsi euphonia curae est. An forte quia scriptura sonos sequi debeat atque inveniamus „apud plerosque confusam tractationem *ὀρθοεπείας* et *ὀρθογραφίας*" [2]), ut probe dispexit VEL. L. (VII 71)? Profecto idcirco in eo, quem de orthographia composuit, libro MAR. VICT. (VI 21) „cum asperitas vetus ... perpolita sit" sine h littera „orcus" scribi iubet, quod enuntiationis elegantia rationem exigit scribendi sibi consentaneam. Verumtamen aliqua ex parte *sui iuris habetur orthographia, suis euphoniae legibus obtemperans* [3]).

Quod quoniam dictu est difficilius paulo fusius probare conabimur. Calvum „ad ita" ponere ausum pro „at ita" excusat CHAR. (K. I 229; B. 297) hisce verbis: „*εὐφωνότερον* tamen est ut hic per d *scribatur*", quod deinde uberius explicat. Num *ὀρθοέπειαν* scribendi ratione bene depictam laudat? At in voculae fine t litteram non pronuntiare vix possimus! Re vera ergo hic tenemus propriam orthographiae suavitatem. Comprobat PRISCIANUS (II 30) vetustissimos eos, qui g litteram pro n substitutam „euphoniae causa" scripserint „Agchises" et „agceps", quam confirmat sententiam auctoritate VARRONIS hoc modo disserentis: „... quinta vicesima est litera, quam vocant agma, cuius forma nulla est et *vox communis est Graecis et Latinis* ... in eiusmodi Graeci et Accius noster bina g scribunt, alii n et g, quod in hoc veritatem videre facile non est e.q.s." Haud dubie totus hic locus docet singulare quiddam pronuntiari, cuius quia neque Graeci neque Romani propriam figuram invenerint varia ratione scribendo referre conentur,

---

[1]) Recte STEINTHAL (517) de CICERONE: „Nicht also eigentlich dem Wohlklange folgt Cicero; sondern dies ist insofern zu verstehen, als alles was gegen die Consuetudo ist, als etwas Ungewöhnliches das Ohr verletzt."

Perperam, ut opinor, BARWICK *R. P.* 203: „wobei die *consuetudo* gegenüber der *ratio* sich durch ihren grösseren Wohlklang (*suavitas*) rechtfertigen musste e.q.s." Neque erat cur SUESS (*Petronii Imitatio* 57 sq.) ammiraretur hoc loco subito suavitatem supervenire nulla praeëunte definitione.

[2]) Quapropter nescio annon recte SUESS (*o. l.* 38) carpat MARXIUM, qui LUCIL. fr. 356, 357 ad orthographiam revocare voluerit.

[3]) In orthographia *aurium* voluptas distinguenda, puto, a voluptate *oculorum*, quam designat CHAR. (K. I 193; B. 250) in v.q.s. „vorsus", „olli": „in mediis haec est verborum partibus *lepidi pictura sermonis*". Ne nos quidem tales amoenitates non sentimus, licet nonnulli orthographiae qui emendatores haberi velint rideant ista.

sic tamen ut neque gg neque ng ad ipsum sonum respondere praeclare sciant [1]). Admiratur PRISC. (II 33) ψ et ξ litteras multo melius sonantes quam aut ps(bs)aut gs(cs), quarum alteram assumpserint Romani, alteram non item. Quem fugit turpiter confundi elementa litterasque? Qui idem error facit, ut MAR. VICTOR. (VI 19) inter m et n, inter n et g litteras *vocem* mediam tam Romanis quam Graecis deësse asseveret; atque adeo „anceps" et similia per n potius quam per g scribit quia illa „familiarior (si)t *auribus* nostris." Antiquis, quorum sermo plenioris soni fuerit, placuisse tradit VEL. L. (VII 49) per u et scribere et enuntiare voces quales sunt „optumus" „maxumus". „Nos vero — inquit — postquam exilitas sermonis delectare coepit, usque i littera castigavimus illam pinguitudinem, non tamen ut plene i litteram enuntiaremus. Et concedamus talia nomina per u scribere iis qui antiquorum voluntates sequuntur, ne tamen sic enuntient, quo modo scribunt" (o. l. 50). Ergo ita res se habet: *scribere* tibi licet u litteram sive i, prout antiquam plenitudinem aut exilitatem amas, dum neque u neque i sonum pronunties. Leviorum rerum ut erat contemptor LUCILIUS notissimos versus iactavit q. s. „atque accurrere scribas dne an c, non est quod quaeras eque labores" [2]). Videlicet quod neque in sonis neque in sensibus quicquam mutari noverat utralibet scriptura. VEL. L. (VII 62) tamen aurium interesse exponit „ut c potius quam d *scribatur*". Audio; dummodo *legentis* aures intellegantur, de quibus agi satis credo, etiamsi LONGUM sive „attinet" sive „adtinet" scribitur idcirco nihil movet, quod in oratione nihil discrepat (l. l.).

His instructus exemplis paulo rectius mihi videor intellegere LUCILII famosa de *„meille"* talibusque scribendis praecepta. Non adeo insaniebat poëta festivus, ut praeter omnium, etiam elegantissimorum, loquendi consuetudinem nova atque ea ridicula inchoare vellet — quae satis sciret ab omnibus irrisionem habitura — sed, quo differentiae essent scribendi eiusmodi, quae *legentium* auribus rerum ipsarum naturam vel differentias referrent, alia plenius, pinguius alia litteris exprimi iussit [3]). *Habent enim vocabula imagines varias* in hominum mentibus expressas, e quibus commemoro *imaginem auditionis* atque

---

[1]) Qua de causa non adsentior WILMANNSIO (*De M. Ter. Varr. l. l. gr.* 127) hoc loco VARRONEM non dicere „veritatem quae grammatici iudicio comprob(e)tur, sed eam quae in ipso loquentium sermone (si)t et audi(a)tur." Quam non veri simile id sit ostendit etiam MAR. VICT. VI 19.

[2]) Fr. 375 M.

[3]) Hic neque sequor SOMMERUM (*Hermes*, cf. supra p. 47 sq.) neque GUILIELMO KROLL (*Stud.* 105) omnibus partibus assentior, quasi illud sit „ein schlagendes Beispiel für die papierene Sprachbetrachtung e.q.s."

imaginem visionis [1]). Harum utrique est sua euphonia, est suus sonus, alter verus, alter in sensu modo positus. Fieri potest, ut in scriptura consonantium quaedam iuncturae oculos vel aurem interiorem, ut ita dicam, laedant, in enuntiatione autem, quae asperitates tollat, nihil quemquam offendant [2]). Non est ergo tantopere vituperandus LUCILIUS neque ceteri grammatici damnandi, si modo non incuriose omnia conflassent.

6. *Duae res* uni euphoniae nomini subiunguntur nulla satis diligenti distinctione adhibita: ipsa sonorum suavitas, quae ad aurium voluptatem revocatur atque *pronuntiandi facilitas* volubilitatem linguae non impediens [3]). PRISC. igitur (II 369 sqq.) „inconsonantia" quaedam deficere docens (velut *absonum* fieret, si quis secundum analogiam a v.q.e. „cursor" femininum facere vellet) „naturae *necessitate*" desiderari ea vult. Quam quidem „necessitatem" equidem non intellego, nisi de enuntiationis difficultate cogitatur.

Quo modo PRISC. perperam necessitati opponat fortunam, inconcinna absonis — quamquam ubique suavitas et oris commoditas quadam necessitate inter se coniunguntur — vidimus supra p. 73. Non ita MACR. (V 628), arbitratus ubi quid litteris non convenientibus deficit „necessitati" tantummodo pareri, tamquam si nulla sit euphonia, quae magis per consilia agat quam per vim. Contrariam rem deprendas VII 295, ubi ALBINUS *„euphoniae causa"* „afficio" et similia pro eo quod verum est scribi iubet. Melius tales assimilationes iudicat CASSIOD. VII 151 alias fieri propter levitatem, alias *quia enuntiari litterae praepositionum non possint*. Atque VIII 232 comparativo carere dicit vocem q. e. pius „causa hiatus, i. propter nimiam oris apertionem"; mitto veriloquii nugas, sed enuntiandi molestia non sine ratione notatur.

Quicquid id est, euphoniae illud nobile nomen nonnunquam positum

---

[1]) Cf. J. VAN GINNEKEN, *Principes de Linguistique Psychologique* Paris-Amst.-Leipz. 1907, qui luculenter discernit „la représentation orale", „l. r. auditive", „l. r. visuelle", „l. r. graphique".

Imaginem illam visionis dissimulasse gravissimum vitium fuerit eorum orthographiae paene dixi vexatorum, qui iactent nil esse loquelam praeter sonos. Concussit doctrinam istam funditus nuper v. cl. VAN GINNEKEN, *Voor of tegen Kollewijn* (Utr. prov. en stedel. dagbl. 10—21 Nov. 1930). Praeclare quoque VENDRYES *Le Langage* Paris 1921 p. 399: „Le mot existe-t-il dans le son parti de la bouche ou dans l'écriture qui noircit le papier? On doit répondre que pour tout homme civilisé il est à la fois dans l'un et dans l'autre."

[2]) Cf. TE WINKEL en DE VRIES o. l. 24, ubi secundum regulam quae euphoniae dicitur „frischte" pro „frischste" comprobatur. Hac in re aliquantum potest et „la représentation orale".

[3]) Non male VEL L. VII 78: „... coniux tamen et seiux subtracta n littera et *difficilius enuntiabitur* et *asperius auribus accidet*." Illud pertinet ad „la représentation orale".

pro efferendi facilitate ostendit — si iam opus est — quam studiosi fuerint Latini inveniendi *normas*, quibus linguam parere par esset. Sint sane multa anomala: excusantur atque nobilitantur quodammodo suavitatis dote praeclarissima. Quo quam immenso intervallo aetas nostra distet ab illa hac in re spectetur, eorum admoneo grammaticorum, qui his temporibus euphoniam totam fere constare fingant sive consuetudine aurium sive levitate tam enuntiandi quam percipiendi sonos [1]), digni, ut sunt utilitatis captatores, qui in Epicuri hortulis cubent.

7. Quantum possit euphonia, quantumque posse ei liceat artium latores inter se variant. DONAT. IV 379 „euphoniam in dictionibus plus interdum valere, quam analogiam vel regulam praeceptorum" fatetur et AUGUST. (V 517) simili moderatione usus „in paucis — inquit — admissa euphonia est". Cf. etiam KEIL de TER. SCAURO (VII 8). Nonnunquam tamen pluris eius auctoritas et vis habetur. Qui DONATI auctoritatem sequitur CLEDONIUS ita, ut interpretis vicem obtineat, eius de euphonia dictum hisce verbis explanat: „in declinandis nominibus *debemus* potius suavitati quam rationi obsequi" (V 47). Cf. CONSENT. V 354: „. . . euphonia, quae plus in vocibus valet quam regula e.q.s." PS. PALAEM. V 542: „etenim studium fuit omnibus musicare latinitatem et id addere, quod in aures laberetur, id demere, quod rancidius offenderet auditum"; CASSIOD. VII 203: „. . . nobis iam decor et levitas obtinenda est, qui maximus fructus est latinitatis;" AUDAX VII 347: „. . . non enim possumus de praeterito tempore dicere gaudivi. quoniam durum et turpe sonabat, mutaverunt illi scriptores artium sonum e.q.s." (quantopere iam gliscit grammaticorum auctoritatis aestimatio!); VIII 183: „Ceterum unumquemque aurium potius oportet mulcedini inservire": hi omnes quo suavitatem lucrentur haud inviti rationis iacturam faciunt. Illa enim tantum non in *regulae* dignitatem abit. PRISC. certe (II 137) *alternitatem*, utpote male sonantem [2]), („Charyb*d*is", „ma*n*unine") *vitium* censet. Idem scriptor *euphoniam exigentem* (II 49), *sonoritatem cogentem* (III 463) facit. Eius *necessitatem* affert SERV. IV 417 (cf. MACR. V 628; CASSIOD. VII 151). Eodem iure atque ratio, vocalitas *exigere* quid videtur apud DOSITH. VII 411: „etenim ratio exigit certe, vocalitas vero certo: illud igitur erit rationis, hoc vocalitatis." Quin „sunt etiam malae conpositiones id est cacosyntheta, quas non nulli *barbarismos* putant e.q.s." (DONAT. IV 392; cf. DIOM. I 453).

---

[1]) „Euphony depends not only on custom, but even more on ease of articulation and on ease of perception e.q.s." JESPERSEN *Language*[2] 278.

[2]) GEORGES, *Handwörterb.*[8] s.v., hic quoque minus diligenter, vertit: „die Abwechselung, Nebeneinanderstellung gleichbedeutender Ausdrücke" atque id laudato quem memoravimus loco.

Duobus igitur nominibus euphonia adversus rationem ius suum retinere potest, *regula* et, ubi scilicet arcet quae efferri vix possunt, *necessitate,* sive lege *praescribente* et *cogente* lege. Ceterum maxime gloria florere videtur iis temporibus, quibus in peius declinat emendatae Latinitatis sensus rectus.

§ 15. Brevitas.

Praeter suavitatem brevitas quoque e causis est, quae ut consuetudo a vera rationis norma discedat efficiant. „Saepe brevitatem oppetens" a Char. (K. I 176; B. 226) consuetudo dicitur; iudicat Diom. I 371: „. . . novitas brevitatis causa cuncta permiscuit." Minoris pretii fuerit quod alio quodam loco: „Doris — inquit — . . . nunc adiectioni nunc brevitati studens barbarismos facit" (I 440), quia magis mutationum effectus indicati videntur quam causae. Difficile certe est cogitatu cum dicendi ambages tum brevitatem quemquam quaerere. Illud gravius est, quod de Atthide profert l.l.: „Atthis, quae brevitati studet, admittit soloecismos" [1]), quoniam eandem brevitatem nunc apparet non solum contra *naturam* et declinationis *analogiam* peccare, verum etiam contra *rationem syntaxeos.*

Quamquam non ubique vituperatur ista brevitas, velut quem vocativum „iuniores" protulerunt „Virgili" pro „Virgilie" (Prisc. II 302) sine ulla exprobratione adnotatur (cf. II 454 sq.). Nec non in *orthographia* brevitas aliquantum habet ponderis. Respuit Vel. L. (VII 70 sq.) quorundam „quoius" et „quoi": „nos ad brevitatem festinavimus *scribendi* et illam *pinguitudinem* limare maluimus e.q.s.", praeclarum euphoniae, quae in orthographia versatur, exemplum! Simul inde elucet aliquo necessitatis vinculo brevitatem et euphoniam coniungi, quarum utraque quod redundat possit recidere.

Seiungas autem oportet ab hac brevitate quam *concedere* possis *expetendam* illam, quae non magis utilitati quam *arti* consulat. Idem Diom. I 456 *proprietatis* provinciae subiungit *analogiam, brevitatem,* tenorem; cf. definitionum brevitas (Cic. apud Diom. I 421). Et complures grammatici [2]) „artem" ab „artis" praeceptis ducunt „id est angustis et brevibus" (Serv. IV 405). *Duplicem* hanc *brevitatem* distinxisse usui fuerit ad recte expendenda quae anomaliae vindices de captanda brevitate iactant. Cf. supra p. 49.

---

[1]) Minus felici iudicio usus alterum exemplum eligit: „urbem quam statuo vestra est" pro „urbs q.s.v.e.".

[2]) O. Froehde *Die Anfangsgründe der röm. Gramm.* Leipz. 1892, 19.

§ 16. Differentiae.

Non satis lucide diduxerat Varro diversi generis dissimilitudines, alteras e natura profectas ad analogiam necessarias, alteras cum analogia haudquaquam concinentes (supra p. 20). Sic apud seriores quoque varias differentias accuratius distinguamus necesse fuerit, quandoquidem est ut naturae sint ac rationis, est ut non dico naturae verum orationis ordinem confundant.

1. Non longam demonstrationem instituemus, qua ostendatur *declinationum* discrimina sive „differentias" (Prisc. II 405) naturae constitutione constare (cf. Diom. I 340). *Discretio, distinctio,* proprietas, ordo ubique summo opere quaeruntur et coluntur, *confusione* vero nil magis putatur vitandum. Ingenti admiratione imbuti sunt animi grammaticorum subtilitatis artis „quae coniugationum distingu(at) confusionem" (Eut. V 460; Sedul. VIII 26 sq.). Ea profecta sunt e ratione.

2. Quod saepissime tamen de differentiis dici nequit: „sin autem fides *τὴν πίστιν* significat, fidei facit genetivo, *non ratione sed distantiae causa*"; ea habet Char. K. I 70; B. 88; idemque (148; 188): „nam deabus et filiabus et quidquid huius modi est *discernendi sexus gratia contra rationem* receptum est," quae exempla ex immensa copia temere arrepta multiplicare facile sit factu. Unde tamen mira illa res, quod eadem differentiae ratio modo in analogiae provincia versatur, modo magis sequitur anomaliam? Scilicet illic ista ratio multorum sive nominum sive verborum est communis, hic in singulis vocibus exstat vel certe perpaucis. Neque vero est negandum in ipsis quae dicta sunt vocabula („deabus", „filiabus") novam quandam rationem et analogiam provenire (cf. supra p. 88).

3. Non facile quisquam infitias eat orationem ipsam sibi differentias eiusmodi parare sive conservare (quoquo modo id est interpretandum) ita, ut *τέλος* quoddam persecuta esse *videatur*. Antiqui, pro eorum indole ac mente, prudentes ac scientes id egisse credunt homines arte confisos, hodierni vero — ipsi quoque philosophia quadam subnixi — omnem cogitationem mentis et consilii sapientis aspernari solent, quod sciam [1]: toto, ut aiunt, coelo ab illis hac quoque in parte distantes. Ipsa res dubitationem non habet. Quid vero quod sescenties insulsissima ratione, qua nemo turpius crebriusque in foedos errores

[1]) Cf. H. Paul *Prinzipien*[5] 215, 216. W. Wundt *Die Sprache* II[4] 113. Quod habet Lindsay *Short Histor. Lat. Gr.*[2] 67: „the older form was kept up *for the sake of distinction* in words like *arcubus* e.q.s." id quasi e Latino versum dubito omniumne consensu comprobetur.

est delapsus PRISCIANO, quod ergo intentis oculis ubique differentiae consulto factae exquiruntur, immo potius finguntur, ubi de tali re ne paululum quidem cogitari potest? Ipsa oratio perpetuo circumspectare videtur verita ne stolidos homines idem sonantibus vocibus in errores ducat. Sic „vis" pro „volis" — scilicet maius est periculum ne „volis" audiens de „vola" cogites, quam ne in voce q. e. „vis" substantivum dictum putes! — „es" pro „edis"; hic probam accipe rationem: „ne, si „edis" *diceretur* dubitationem faceret *scriptura,* quomodo deberemus pronuntiare e, productam an correptam" (PRISC. II 454 sqq.). Scatent eiusmodi ineptiis PRISCIANI libri. Cf. supra p. 86.

4. Res ipsa clamat, si „differentiae *causa*" quae in natura rerum sunt discreta voces quoque proprias accipiunt contra rationem declinationis, non tamen sine *ratione* aliqua id accidere. Etenim confligunt inter se rationes, quae versantur in rebus et quae in sermone positae sunt [1]). Causam ergo habet is, qui has concedat istis; cogit eum „necessitas" (CHAR. K. I 54; B. 67; DIOM. I 308, 433); „rationabiliter" PRISC. (II 454) de anomalis, quae eo pacto vexantur, se tractaturum profitetur (cf. etiam II 455). Unde apparet idcirco quoque nugas istas grammatico gratas acceptasque esse, *quod anomalia inde excusationes petat.* Qui fines analogiae et anomaliae provincias terminant, nondum ii quidem tolluntur, sed minus certi utique apparent.

5. Non contenti quod commentis istis explicationes quaedam sunt coactae, depravant orationem in usu nonnulli *facticiis discretionibus.* Opinata eorum eruditio distinguit forfices et forpices quasi instrumenta varia pro varie derivatis nominibus (CHAR. K. I 94; B. 120 sq.), labra modica, immodica labia (CHAR. 103; 131). „Caesar quidem in libris analogicis voluit dicere discretionem (Albanos-Albenses) ... Plinius Secundus negat et ait sic „indifferenter haec inveniuntur" (POMP. V 144); idemque CAESAR, quod consuetudo ignorabat, distinxit „idem" et „isdem" ita, ut illud singulariter, hoc pluraliter diceretur (CHAR. K. I 111; B. 142) [2]). Ceteroquin CAESARIS sententiae vel improbanti erant ferendae. Recte tamen Vel. L. (VII 68) eorum vanam differen-

[1]) Saepius propterea differentiae quaesitae dicuntur, quia dubitationem tollant (cf. PRISC. II 298). Iniuria, credo. *Ratio* et *doctrina* artium latores ut cuncta distinguerent perpulerunt, non dubitatio, quae nulla plerumque est. Idem fere valet in ea exempla, quae affert DIOM. I 450 ad amphibolias arguendas. Singula verba, non sensus spectantur.

[2]) FUNAIOLI fr. 10 (p. 150) RITSCHELIUM secutus nescit an rectius „isdem" singulariter accipiatur, propterea quod ea singularis forma in titulis et apud Plautum exstet atque alia pronomina comparari possint. Non denego; suspicor tamen CAESAREM simili ratione atque LUCILIUM (fr. 10 b p. 37) adductum esse, ut longiorem vocem numero plurali reservaret. Sic VARRO „docilis" et „docileis" discrevit (fr. 69 G.-SCH.).

tiam castigat, qui „clipeum" et „clupeum" a diversis ducunt originibus. CAPER „adolescens" participium, „adoliscens" nomen dicitur scripsisse (VIII 179). „Wurde die Differenzirung in den ersten beiden Jahrhunderten zwar unvernünftig, aber doch mit Maass betrieben ... so war sie im fünften Jahrhundert zur wahren Thorheit ausgeartet: *arbor* und *arbos, robor* und *robur, illuvies* und *ingluvies, lepor* und *lepos* werden von Agroecius der Bedeutung nach unterschieden" [1]). Atque sera doctrina volu*m*tatem Dei a volu*n*tate hominum discernit (VIII 289). Satis iam quisquiliarum, quas tamen tantum abest, ut omnes grammatici comprobent, ut haud raro potius respuantur; velut a CHARISIO quae ex eo petivimus exempla. Quin DIOM. I 376 vix aliquam inter „insitus" et „insertus" differentiam invenire videtur.

6. Identidem *accentus* aeque scripta distinguere dicuntur, qua in re vera a commenticiis dignoscere haud semper in promptu est. „Quándo" et „quandó" (CHAR. K. I 111 sq.; B. 143); „út" et „ùt" (227 sq.; 294); „né" et „nè" (228; 294 sq.); „dixerimus" perf. acuto accentu et „dixerimus" fut. circumflexo (DIOM. I 340); eadem ratione „conperii" (= rescii) et „conperii" (= cum alio perii) (DIOM. I 372); „ítaque", „útique" et „itáque", „utíque" (PRISC. II 181), cuncta ea accentus soli efficiunt ne consimilia sint. Docet VERGILIUS grammaticus: „Maxime autem haec diversitas locorum quibus accentus ponuntur ob dissimilium sonorum discretionem reperta est, ne confusibilitas aliqua nascatur" (VIII 190).

Orthographia quoque multa est in differentiis constituendis [2]). LUCILII de „peila" e. s. inventa huc referenda censueramus (cf. supra p. 115 sq.). Non indulget libidini ei TER. Sc. (VII 25) scribendam vocem arbitratus, quo modo et sonet.

§ 17. BARBARISMUS. SOLOECISMUS. [3])

Barbarismi soloecismique cum definitionem tum distinctionem impeditiorem reddunt *tria* quae dicimus *principia divisionis*.

a. Nemo fere est, quin teneat tritissimas illas definitiones, quae barbarismos in una parte orationis ponunt, soloecismos in sermonis contextu. Elucet *syntaxin* satis significanter a cetera grammatica discerni, cum praesertim egregie grammatici sint qui intellegant in singulis quoque verbis soloecismos accidere posse. QUINTIL. perspiciens ex complexu aliquo semper sententiam effici non incommode de soloe-

[1]) BRAMBACH *Die Neugestalt. der Lat. Orthogr.* Leipzig 1868 p. 45.
[2]) BRAMBACH *o. l.* p. 44 sq.
[3]) Cf. G. SUESS *o. l.* p. 61 sqq.

cismo: „sit aliquando in *uno* verbo — inquit — numquam in *solo* verbo" (I 5. 38). Altioris istius sensus nihil intellegens DONATUS (IV 393), sive quod nimium verbis definitionis inhaeret, negat soloecismum fieri si „demonstrantes virum hanc dicamus." Ut QUINTIL., ita iudicant SERV. IV 446 et POMP. V 289. Praeclare ii viri quid *sententia* esset et qua de causa ex uno membro constare videri posset agnoverunt [1]). Etenim hac in re omnia vertuntur. Neque cogitandum est de iis, quae J. RIES [2]) merito, ut opinor, syntaxis propria putat: „Wortgefüge", etiamsi expressis verbis grammatici *sententiam* non commemorant. Quid de peccatis contra nominum *genera* commissis? Qui definitionis verba premit, sicut ipse QUINTIL. I 5. 35, soloecismos appellabit. Melius CHAR. K. I 57; B. 71 barbarismos esse potius dicendos agnovit.

b. Ubicumque soloecismi doctrina uberius exponitur, fieri dicitur plerumque „per partes orationis aut per accidentia partibus orationis" [3]). At cum priore definitione id non plane congruit, quoniam nunc quidem notiones grammaticales, ut aiunt, inducuntur, non cunctae ad syntaxin pertinentes. *Genera nominum* confusa, *genera verborum* (cum quis „luctat" ponit pro eo q. e. „luctatur"), *numeri* permutati (cum singularia tantum pluraliter efferuntur), ea omnia, si prior definitio servatur, barbarismos dici verius est. Cum POMP. V 290 scala „quod per naturam non dicitur" barbarismum appellet, CONSENT. alterum nomen mavult (V 396). Quin tantopere abutitur ea doctrina ut, si quis nominativo casu „fontis" dicat pro fons", tum quoque soloecismum se tenere credat (V 395).

c. Est tertia distinctio, quae barbarismi notionem angustissimis circumscribat terminis. Ait enim PLINIUS (SERV. IV 444) „barbarismum esse sermonem unum, in quo vis sua est *contra naturam*". Apte ea verba illustrat POMP. V 283: „quid est barbarismus? quod non dicitur per naturam" („mamor" pro „marmor"); „quid est soloecismus? quod male per artem dicitur" („multi fecit"). Si quod dicit id PLINIUS sentit, *declinationis* ergo *errores soloecismorum* provinciae sunt subiciendi, etiamsi in partium accidentibus nil peccatur, puta, si pro „senatui" dicatur „senato". Atqui natura arti opposita non dispicio quomodo aliter accipienda sit quam factum est in celeberrimis illis Latinitatis regulis. Namque quod habet SERV. IV 446: „nam quando dicimus hanc de viro, non ideo vitiosum est hanc, quia *naturaliter* vitiosum est, sed quia refertur ad virum" id huc referre dubito, cum „per se" — id quidem

[1]) Cum POMPEII disputatione comparari possit H. PAUL *Prinzipien*[5] § 90 „Scheinbare Eingliedrigkeit." De sententiae natura eo pacto agitur a PRISC. quoque II 54; cf. CLEMENS p. 24.

[2]) *Was ist Syntax*[2] p. 48.

[3]) CHAR. K. I 266; B. 351; cf. SUESS *o. l.* p. 62 sqq.

„naturaliter" hoc loco valet — vix contrarium esse possit verborum q. s. „per artem". Potuit igitur uti POMP. ea definitione, cum „scala" barbarismum vocaret (vide supra); modo ne eadem ratione adductus „steterunt" (brevi paenult.) barbarismum appellasset (V 285) neve alibi in contextu tantummodo sermonis soloecismos invenire voluisset (V 289). Immo re vera PLINIUM intellexisse naturam quam diximus probant et exempla POMPEII V 283 („mamor", „columa"; cf. VARRONIS „scrimbo") et liberior soloecismi nominis usus, qui apud eundem invenitur V 225 („exiam — pro exibo — non dicimus, soloecismus est") et V 228 („puta siqui dicat „posteritati loquendi", dico soloecismus est, sed debemus dicere „posteritati locuturi"; voce q. e. „posteritati" omissa scilicet soloecismus manet). — Iam pateat minus diligenter a recentioribus soloecismum nonnunquam intellegi, quasi sit peccatum contra syntaxeos rationem (ita STEINTHAL 706).

2. Cum orthographia tum *pronuntiatio* barbarismorum doctrina tangitur (CHAR. K. I 265; B. 350), neque iure KROLL (*Studien* 88): „Da die Aufgabe des Grammatikers — inquit — ursprünglich und hauptsächlich in der Dichtererklärung bestand, so war sein Blick durchaus auf die Dichtersprache gerichtet e. q. s." Satius fuit „consensum eruditorum" hac in parte nominare (QUINT. I 6. 45). Quin a nonnullis ut barbarismi notantur quae *euphonia* proferri vetat (DIOM. I 453, cf. DONAT. IV 392), *hiatus* puta, vel *structurae invisae* (PROB. *Cath.* IV 41; MAR. PLOT. SAC. VI 493). Quae vitia vix ad Latinitatis quattuor modos possunt revocari.

3. Quantillum bonae frugis habeat quadripartita illa divisio adiectionis et si qua plura sunt, vel illud patefacit, quod poëtarum [1]) „metaplasmi" quodammodo iis solis liciti concessique barbarismi videntur. Neve ineptiis quid desit: simulatque eiusmodi definitiones sunt prolatae, exempla barbarismorum colliguntur — e poëmatis! (CHAR. K. I 265; B. 350 alii). Scilicet turpia consuetudinis loquendi vitia litteris mandare pudet pexos pinguisque doctores. Quantam inde confusionem nasci oportuerit discimus a CONSENTIO (V 391). Habet aliquot specimina meliora DIOM. I 452 sq.; cf. POMP. V 283. Hic porro immoderatam poëtarum licentiam — sunt Romani *auctoritatis* veneratores — aliquantum coërcet, errorum immunitatem (cf. QUINT. I 5. 11) merito iis detrahens (V 283 sq.). CONSENT. vero ex usu cotidiano prudenter hausit.

Denique ubicumque consilio a recta via disceditur, nullum vitium solent arguere (VII 362 AUDAX „per inprudentiam" opponit vocibus q. s. „a poëtis"), sed V 327 aliquis *sciens* barbarismum admittens inducitur.

4. *Barbarolexis* usum peregrinae dictionis indicat, quod vulgatissi-

[1]) Melius DIOM. I 440 „docti".

mum omitteremus, nisi MAR. PLOT. SAC. VI 451 stulte haberet: „haec vitia cum dicuntur, barbarismi sunt; cum scribuntur barbarolexis e.q.s." Num felicius GEORGES *Handwörterb.* [8] i.v.: „Die fehlerhafte Aussprache eines fremden Wortes"?

5. *Soloecismorum* quoque exempla petuntur e poëtis, quamvis constet schemata ibi esse nominanda. Non prorsus consuetudinis vitia negleguntur (CHAR. K. I 267; B. 352 al.); accidit, ut *carminum* soloecismi commemorentur (POMP. V 289).

6. Necessitate quadam soloecismos et *artem* neglectam esse coniuncta sub 1 apparuerat et quidem e latissime patente definitione. Unde efficimus in angustiores definitiones non minus id valere, id quod aliunde confirmatur. Soloecismus est „oratio *inconsequens*", „*discrepantes* [1]) inter se dictiones habet" (CHAR. K. I 266; B. 351); „*contra rationem* Romani sermonis" „est non conveniens *rationi* sermonis iunctura verborum" (DIOM. I 453); fit „contra *regulam* artis grammaticae" (DON. IV 393); „est oratio *inordinatis* [2]) dictionibus instructa" (SERG. IV 563); „est latini sermonis *inpropria* [3]) ordinatio . . . carens *ordine* sermo, dictio non *cohaerens*" (MAR. PLOT. SAC. VI 449). Hanc ob causam enumerationem eam instituimus, quia undique apparet *rationem* et *concentum* soloecismis violari. Si non est eadem, at certe similis est ratio ea verborum coniungendorum illi alteri, quae declinationes quidem regit. Analogiae imperium subiciendum imperio rationis. Non alienum est ab ea sententia, quod soloecismi a [SERG.] IV 563 „contra *rectam* loquendi *consuetudinem*" peccare dicuntur. Nihil prorsus differt consuetudo hac in parte a ratione sermonis. Possis quidem et in syntaxi consuetudinem a ratione separare, ita ut illa minus probatum indicet usum, haec praecepta et leges certas; quae tamen cum non aeque in promptu habeantur atque regulae declinationis, is qui perperam verba coniungit, facile consuetudinem et morem loquendi migrare dicitur (cf. infra p. 126 sq.). Porro vel in elaborata syntaxi vix regulae rationi servientes distinguendae sunt ab iis, quae magis arbitrariae consuetudinem sequi videantur. Itaque quae ad certam consuetudinis normam rediguntur, simul ea ratio regit aliqua. Nihilominus in soloecismis captandis valet aliquantum et *ratio* ea *altior*, quae pertinet ad cogitandi sive veras leges sive opinatas. Constructiones quae „ad sententiam" dicuntur, praesens tempus pro praeterito inductum, vocabulum aliquod minus necessarium adiectum seu optabile detractum, proprium nomen pro pronomine positum et plura

[1]) Cf. dissimilitudines et inaequalitatem declinationis.

[2]) Cf. VARRONIS fr. 115: „Analogia sermonis a natura proditi *ordinatio* est e.q.s."

[3]) Cf. de proprietate analogiae supra p. 85 1.

alia, quae fuse persequitur CHAR. K. I 266 sqq.; B. 351 sqq. evidenter ostendunt normam et tamquam obrussam adhiberi rationis, quam credant immutabilem, cum haud raro sordida proque nihilo sit putanda.

§ 18. SYNTAXIS.

1. Ab analogiae disciplina neutiquam syntaxin seiunxeris, utpote quae et scateat rationibus neque vero iustas proportionum formulas recipere recuset. Quod mox illustrandum iamnunc urgemus id scilicet agentes, ut reconditos analogiae sensus paulo melius perspiciamus. STEINTHAL (*o. l.* 686) de APOLLONIO grammatico: „Er stellt — inquit — diejenigen, welche verabsäumen den *λόγος* in der Syntax zu erforschen, denen gleich welche sich einbilden die Wortformen aus dem Gebrauche zu erlernen ... ohne sich um die Regeln der Analogie zu kümmern ... Theilt nun hier auch Apollonios den beschränkten Gesichtspunkt der analogistischen Correctionssucht, so erhebt er sich doch, freilich halb unbewusst, in der Syntax über das Wesen der Analogie hinaus, indem er eben den Begriff des *λόγος* tiefer fasst. Was bedeutete dieses Wort den alten Grammatikern? Wir haben es von Varron gehört: nicht mehr als *proportio, similitudo* ... Apollonios dagegen versteht unter *λόγος*, wie schon bemerkt, *τὸ αἴτιον*." Praeclare ille quidem de APOLLONII *λόγῳ*, quem eundem non desideramus in libris Latinorum. Ceterum errare virum doctum de pristinae grammaticae „ratione", quasi mera similitudine non explicata, id paginae superiores affatim patefecerint [1]). Illud equidem concedo proportiones minus nobis in promptu esse syntaxeos provinciam ingressis, quam si quis declinationum formas componat. Hic nempe *exempla* vigent, illic potius *regulae*, quas tamen in proportiones similitudinesque explicare omnibus rebus est facilius; hic a *formis* initium fieri solet, illic a sensibus. Quamquam non desunt perfectae proportiones: „quomodo enim dicimus „multum bonum", et „boni, bonorum" et „nimium lucrum" et „lucri, lucrorum", sic „nihil malum" vel „mali" vel „malorum" (PRISC. II 214 sq.). POMP. V 252 habet: „ ... Romam vado, Roma venio, Beneventum vado, Benevento venio ... sic currunt ista omnia secundum ipsam *similitudinem*." Cf. NIG. FIG. apud GELL. XVII 7.

2. Syntaxis, cui PRISC. XVII et XVIII librum dicavit, a ceteris grammaticae partibus male distincta [2]), quae in constructione vel

[1]) Pravissime idem v. d. de discipulis Cratetis: „Und in der Sprache suchte er nicht Analogie ... sondern Logik" (535). Illa species putanda est huius.

[2]) Cf. JEEP *o. l.* p. 252; 258.

ordinatione partium orationis versari dicitur (PRISC. II 550, III 108) casus tractat, modos, temporum, ut aiunt, consecutionem, comparationem, pronomina, coniunctiones, praepositiones, adverbia, ordinem verborum, et si qua plura sunt, neque tamen in certi *συστήματος* formam redigitur, quod non nimium mirabitur quisquis secum reputaverit, quam sit et nobis difficile provinciae eius terminos rite disponere. Sic quoque ratio quid possit ubique apparet. Nihil attinet locos exscribere, quibus ipsa rationis vox in syntaxi adhibetur. Malim duo rationis genera distinguere: est enim ratio, quae quomodo verba sint coniungenda ipsius *naturae* constitutione decernat; est ratio altera, quae (quamquam a natura non prorsus seiungenda) magis *orationis congruentia* nitatur, ubicumque *regula quaepiam* statuitur. Ad *consuetudinem* eam revocare haud raro possis. Persaepe *τὸ αἴτιον,* quod APOLLONIUS vocat, apertissime ratio ostentat optimeque illustrat, qua necessitate syntaxis cum declinationis disciplina coniungatur ita, ut qui neglegat alterutram alteram non plane teneat.

a. Nonne natura — sive bene sive male intellecta — ducitur SISENNA arbitratus „dicere *debere* patres famili*arum*" (CHAR. K. I 107; B. 137)? De quo CHAR.: „et tamen *ratio* Sisennae — inquit — non est valida", alia eiusmodi exempla allegans, ut „praefecti alae", „praefecti urbis", ille quidem *consuetudine* potius subnixus iusta proportione simul adhibita. „Ubi autem superlatione utimur, non potest adici neque magis neque valde, quoniam ipsa superlatio omnia significat" (CHAR. K. I 115; B. 147); „. . . . non possum dicere „equus velocissimus equi". et re vera in re quae individua est servatur haec regula; si res illa individua est *naturaliter,* servas" (POMP. V 158).

Ex iis, quae rationabiliter de pronominibus disserit PRISCIANUS, haec tantum excerpamus (II 582): „et primae quidem personae possessivum tam ad secundam quam ad tertiam transit personam, secundae vero ad primam vel ad tertiam, ut „tuus sum", „tuus est"; ipsa enim sese possidere non potest, quomodo nec prima e.q.s." De ordine verborum naturali supra iam egimus (p. 61 sqq.).

Audi PRISCIANUM (III 116): „ante verbum quoque *necessario* ponitur nomen, quia agere et pati substantiae est proprium e.q.s." [1]). Usu venit, ut ratio ea naturae orationis proprias leges vincat, ut in constructionibus ad sententiam, quas dicere solemus. (PRISC. III 201).

Iam satis exemplorum. Etiamsi minus aperte quam in declinationibus accidit *syntaxeos fundamentum naturam esse* pronuntiatur, non potest

---

[1]) Cf. JESPERSEN *Language*[2] 356: „Then there is a growing tendency to place the subject first, . . . the phenomenon must be founded in *the very nature of human thought* e.q.s."

dubitari quin ea grammaticorum sententia fuerit. Ipsas formas *φύσει* esse, formarum coniunctiones non item quis sibi persuadeat? [1])

b. Vel ipsum syntaxeos nomen, quae est *ordinatio* dictionum (PRISC. III 108), indicat non temere ac fortuito verba conici, sed ita, ut harmoniam consonantiamque quandam efficiant. Violat concentum illum soloecismus sive „oratio inconsequens" [2]) (cf. supra p. 124). PRISC. II 53 hisce verbis orationem definit „est ordinatio dictionum *congrua* e.q.s." Cf. imprimis PRISC. III 182 sq.: „quae sc. (partes orationis) sunt igitur declinabiles, cum ex propriis figurationibus ad *convenientes* supra dictorum numerorum vel generum vel casuum vel personarum vel temporum *consequentias* [3]) accipiuntur, orationis constructione, id est dispositione, ad aptam coniunctionem ferri debent e.q.s." Quare „si quis dicat „duo fratres, alter maior, alter minor est" vitium facit e.q.s." (*o. l.* 126). Unaquaeque regula aliquid rationis habet, etiamsi neque e natura neque e cogitandi loquendive legibus originem trahere videtur. Etenim „in dictionum ordinatione disceptamus *rationem* contextus, utrum *recta* sit an non. nam si incongrua sit, soloecismum faciet (PRISC. III 111). Atqui soloecismos *consuetudinis* praecepta violare supra vidimus. Unaquaeque porro lingua *idiomata* sua habet (cf. CHAR. K. I 291; B. 379; K. I 573; B. 450; praeterea IV 566; V 599; 631), quae detecta ostendunt non omnino *subiectivam*, ut aiunt, rationem grammaticos fugisse. Nonnulla DIOMEDES (I 311) „vel licentia ab antiquis vel *proprietate Latinae linguae* dicta praeter consuetudinem Graecorum" putat.

3. Sicut in declinatione ita in syntaxi grammaticorum rationes haud semper probabiles sunt putandae, quippe *profectae e viliore sive logica sive consuetudine loquendi.* Etsi conceditur poëtis, nihilo minus schema lexeos habetur „ordo verborum aliter quam *debuit* figuratus e.q.s." (CHAR. K. I 279; B. 368). Quid tandem illiciti proprie ibi inesse putant? Prolepsis, zeugma, synlepsis e. s. forsitan contra eorum frigidam *rationem* peccare videantur, hypozeuxis, asyndeton, anadiplosis e. s. contra *consuetudinem* vulgarem ac cotidianam.

4. Quam similis sit analogia syntaxeos illi alteri ex aliis quoque

---

[1]) Quare „quintum tricensimum annum dici sine coniunctione vult Varro... *ipsa re cohaerente*" (CHAR. K. I 73; B. 92).

[2]) In declinationibus quoque consequentis nomen in usu est: PRISC. II 442 „coniugatio est *consequens* verborum declinatio e.q.s." (± = „systematisch," „regelmatig").

Sic Graece *τὸ ἀνώμαλον τῆς συντάξεως* commemoratur (APOLL. DYSC. 291, 17 apud LIDDELL and SCOTT *Lexicon*[2] s.v. *ἀνώμαλος*).

[3]) Non sufficiens GEORGES *Handwörterb.*[8] (s.v.): „die Aufeinanderfolge, Folge."

rebus apparet. Et hic *duplices* probantur constructiones (CHAR. K. I 108; B. 138); non desunt *differentiae* (CHAR. K. I 263; B. 348; cf. DIOM. I 394; saepe al.); *erudita* loquendi ratio opponitur indoctae consuetudini (DIOM. I 395); *auctoritas* rationi (PRISC. III 126; 164; cf. IV 419); nonnumquam id quod minus ad rationis normam respondet altera eiusdem generis re excusatur („*nec mirum*" PRISC. III 277; cf. supra p. 101).

§ 19. LITTERAE ET ELEMENTA. [1])

1. Analogiam si recte in syntaxi quaesivimus, sive in dictionibus ratione quadam ordinatis, haud absurdum fuerit in *partibus* quoque dictionum investigare. Vel haec analogia est iudicanda, „quod, quemadmodum literae apte coëuntes faciunt syllabas et syllabae dictiones, sic et dictiones orationem" (PRISC. III 108).

Nunciam pauca de *litteris* (elementis), quas eo confidentius ad analogiae doctrinam refero, quia „in libro analogiarum" tractatae fuerunt a CAESARE (cf. POMP. V 108). Quamvis de *syllabis* quoque rationabiliter disseri soleat, omissuri eas sumus ut minoris momenti ad nostram disputationem.

2. *Natura* ut in universa oratione ita in elementis litterisque magni est facienda. Nempe est elementum „minima vis et indivisibilis materia vocis articulatae vel uniuscuiusque rei initium a quo sumitur incrementum et in quod resolvitur" (DIOM. I 421; cf. iam VARRO X 55). Atqui si vox ipsa est „aer ictus", ut omnes fere Stoicis assentiuntur, quomodo elementa eius, quippe naturae particulae, analogiis careant? Sic secum reputabit quisquis sequetur REATINUM (cf. *L. L.* IX 30). Habent elementa *naturam suam:* „quin etiam secundum naturam magis apud nos has quinque litteras (vocalium sc.) efferri quam apud Graecos non est dubium iis qui aures habent" (VEL. L. VII 48). Unde simul elucet litteras quoque *φύσει* [2]) esse debere. Peculiarem vocalium naturam significat PROBUS(?) IV 222: „vocalis littera naturae deservit, consonans positioni." — Cf. praeterea quae supra adnotavimus de litterarum elementorumque *cognatione* (p. 69 sqq.).

---

[1]) In hac § conscribenda usus sum libro, quem scripsit O. FROEHDE, *Die Anfangsgründe der Röm. Gramm.* Leipz. 1892, p. 69 sqq. Ne in molestissimas repetitiones incidamus, coniunctim elementa litterasque tractabimus.

[2]) Cf. PETR. GRAM. VIII 159 sqq.: „Littera dicitur similis esse infanti, quia per varias aetates et per incrementa usque ad perfectam aetatem crescit. Sic et littera, quae per syllabas et partes orationis usque ad integram et perfectam orationem crescere videtur."

Littera est „velut *imago* quaedam vocis literatae" (PRISC. II 6), quod tamen cave sic interpreteris, quasi figuris soni *depingantur: indicantur* tantummodo. Posteriora vero saecula hoc elementorum et litterarum vinculo non contenta figuras sive linguae orisque habitum imitantes fecerunt sive mystica ratione sunt interpretata [1]).

a. Anonymus quidam VIII 307: „Omnes vero litterae ad *similitudinem* vocis characteras acceperunt. A aperto ore congruo solo spiritu memoratur. B labris per spiritum impetu reclusis edicimus e.q.s." Similia apud BILDERDIJKIUM nostrum inveniuntur, minus tamen nugatoria [2]).

b. Mystice alius quidam anonymus (VIII 302) de a littera: „Duplex eius quid significat? Significat duo testamenta: lex vetus et nova. Tres virgulae sunt, de quibus congregatur a. Quid significant? Typum trinitatis ostendunt e.q.s." Testamenta illa in alphabeto misere exagitantur. Cf. praeterea VIII 305 sqq. et VIII CXXXXIII sq. Notatu dignum est quam similia sint ista Pythagoreum [3]) mystico de Y littera commento: „Y litteram Pythagoras Samius ad exemplum vitae humanae primus formavit, cuius virgula subterior primam aetatem significat, incertam quippe et quae adhuc se nec vitiis nec virtutibus dedit e.q.s." (VIII CXXXXIII). Quae alibi constitueramus iam confirmantur: et Pythagoreos τῷ φύσει favisse et homines Christianos satis habuisse, si Paganorum inventa Christiano induxissent colore. Ut saecularis grammatica litterarum inventionem Carmenti nymphae haud raro assignat, sic Christiani tradunt quidam „quod spirante Domino Moyses litteras adinvenit Hebraeorum e.q.s." (cf. VIII LII) [4]).

3. Analogia quaedam est sive ordinatio, quae et litterarum genera constituat et quae cui litterae praemitti subiungive possit decernat.

a. Praecedunt ordine *vocales*, quia „nullius litterae auxilio egent, sed per se implent vocem e.q.s." POMP. V 100 (cf. ceteros locos apud FROEHDIUM). De *semivocalibus* PRISC. II 9 iudicat: „quantum vincuntur a vocalibus, tantum superant mutas."

b. „De *ordine litterarum*" agit PRISC. II 37: „sunt igitur vocales praepositivae aliis vocalibus subsequentibus e.q.s." [5]). Cf. VIII 225: „. . . litterae in alfabeto non sunt secundum ordinem, quia r post s

---

[1]) Cf. DORNSEIFF *Das Alphabet in Mystik und Magie* 1922.

[2]) DR R. A. KOLLEWIJN *Bilderdijk* II 225.

[3]) Quare Pythagorei litterarum figuris potissimum operam dederint vide apud DORNSEIFFIUM *o. l.* 13 sq.

[4]) Cf. DE BONALD *Rech. philosoph.* p. 160 sqq., qui Deum cum lege litteras populo suo tradidisse credit.

[5]) Alium ordinem dicit III 115: „solet quaeri causa ordinis elementorum quare a ante b et cetera".

nisi interposita t nihil sonat, e.q.s." (cf. supra p. 63). Multas regulas coniungendarum litterarum posuit PRISC. II 41 sqq., quas ex elementorum *natura* proficisci veri simile est eum sibi persuasisse: „nam post pt vel ct simul iunctas l non invenitur, ut ostendimus, *ipsa soni natura prohibente*" (43). De nominum extremis litteris v. PROB. *Cath.* IV 6 sqq., PROB.(?) IV 222 sqq. Scripserunt observationes in syllabas TERENT. MAUR. VI 334 sqq., TERENT. SCAUR. VII 16 sqq.

Quibus ex rebus manifesto apparet, quam non careat analogiis ipsa positio.

4. Denique neminem fugit elementorum et litterarum crebra confusio, de qua cf. PRISC. II 7; III 519.

Notiones tamen ambae manent, cum nostra aetate qui orationem nil nisi sonum esse pro summa sapientia venditant, elementa tantummodo agnoscant, litteras vero ab imperio orationis quam longissime seiungant.

§ 20. ACCENTUS [1]).

1. Hic quoque usque ad *naturam* est penetrandum. „Quem ad modum corpus nostrum non potest esse sine anima, sic nec ullum verbum nec ullus sermo sine accentu potest esse" (POMP. V 126). [SERG.] IV 525: „scire autem oportet vocem, sicut omne corpus, tres habere distantias, longitudinem altitudinem crassitudinem ... altitudinem discernit accentus e.q.s." [2]). Denique SERV. IV 426: „invenimus enim *naturali* ratione illam syllabam plus sonare, quae retinet accentum e.q.s."

Quem aliqua vox habet accentum secundum regulas, eum habet naturaliter: „non *naturaliter* habet illa ultima syllaba (poné, ergô) accentum, sed propter discretionem" (POMP. V 131).

2. Nam *legibus* parent, neque tantummodo ea ratione, qua dicitur ipse accentus „certa lex et regula" (PRISC. III 519; AUD. VII 357), quae quidem regulae significatio supra p. 89 est memorata. Regularum prima est haec: „unus autem sermo unum recipit accentum, vel acutum vel circumflexum" (SERV. IV 426). Aliae deinde sequuntur de ac-

---

[1]) Locos huc pertinentes congessit FROEHDE *l. l.* 34 sqq., cuius disputatio mihi utilis fuit.

[2]) Dignum quod legatur VARRONIS fr. 282 (FUN.) = fr. 84 G.-SCH. = [Serg.] IV 529 sqq. Haec tantum excerpemus: ipsam *naturam* nihil facere totum, ubi non sit medium; ...sic inter imam summamque vocem esse mediam, ibique quam quaerimus prosodiam", „(musicae) imago prosodia", et si quicquam aliud ad analogiam pertinet illa ars (cf. *L. L.* V 46).

centuum locis et syllabarum longitudine vel brevitate, quae hac in parte in censum veniat [1]). Fiunt nonnulla „ad similitudinem Graecorum" (PRISC. III 33), quemadmodum in declinatione multa. SERV. IV 436 consuetudinis vitium regulis fretus emendat: „plerique accentum in ultima syllaba ponunt, quando dicimus cuias; sed prave nam e.q.s."

Sine dubio tonorum *figurae* naturales sunt habitae, quippe syllabarum qualitates apte imitantes. Cf. (MAX.) VICT. VI 193 ceterosque locos apud FROEHDIUM 46 [2]).

3. Tria sunt, quae regulas corrumpant: distinctio, discretio, pronuntiatio (POMP. V 130), quarum prima et secunda *„differentias"* in memoriam revocant, de quibus v. supra p. 119 sqq. „Pronuntiatio" vero non eo nomine aut omnino non nominari debuit, siquidem „doctúsque" coll. c. „dóctus" magis confirmat regulas quam corrumpit. DONAT. IV 371: „accentus in integris dictionibus observantur (de ea voce cf. supra p. 91 sqq.), in interiectionibus et in peregrinis verbis et in barbaris nominibus nulli certi sunt ... sane Graeca verba Graecis accentibus efferimus" [3]) ostendit quam inter se similia sint praecepta de accentibus et de declinationibus proposita. *Quae omnes rationes nos adducunt, ut in hac quoque doctrina analogiam regnare pro certo putemus.*

§ 21. LATINITAS.

Magna incommoda habet Latinitatis varia doctrina, partim quod quousque quaeque Latinitas norma pertineat non facile est dictu, partim quod deëst principium quod dicimus divisionis.

Definitionum duas species recenseamus.

1. VARRONIS quattuor modi famosissimi materiam orationis formamque, analogiam et anomaliam, usum inde ab antiquissimis temporibus comprobatum, usum populi recentiorem usumque auctorum

---

[1]) FROEHDE 41 sq.

[2]) Cf. VARRO fr. 282 FUN., l. 112 sqq.: „flexa autem prosodia ... notam habet nomini potestatique respondentem".

[3]) PRISC. II 287 vero de Graecis nominibus: „ergo quando corripiunt eam (sc. a litteram) secundum Romanam consuetudinem, accentu quoque Latino pronuntiatur e.q.s."

Cf. LINDSAY *Early Latin Verse* 1922 p. 34: „But we need not believe them (sc. the grammarians of the Empire) when they apply Greek laws to Latin and tell us that *illaque* was accented illáque (like ταὐτά τε)". Equidem malim credere hac quidem in re non delirasse grammaticos, quia paenultimae breves accentum servare potuerunt, quem necessario habebant longae.

incuriose permiscent. Quae cuncta si quis ordine velit digerere, hoc fere pacto fieri possit:

Materia	Forma
I natura (II consuet. III auctor.)	I declin. rationalis II decl. irration.
	a. consuet. *b.* auctor.

Materiae igitur iuxta naturam consuetudinem auctoritatemque subiunximus, id quod VARRO improbavisset fortasse, quamquam res et ratio exigunt, siquidem et consuetudo et auctoritas verba quoque innovare amant. Quodsi non id voluit VARRO atque prave consuetudinis auctoritatisque potestatem ad declinationem limavit, qui iam locus restat verbis Graecis, quae Latinos multa assumpsisse credit?

2. *Tres* dicunt modos [1]) (MAX.) VICT. VI 189 (= AUDAX VII 322, *Cod. Bern.* 123, VIII XXXIV), qui rationem auctoritatem, consuetudinem commemorat, atque AUGUST. (V 494), qui paululum mutatis definitionibus eadem affert nomina. Vix ausim diiudicare utrum eadem vetus divisio sit intellegenda atque supra (praeterquam quod et naturae notionem consuetudo complectitur) an praestet auctoritatem et consuetudinem latius extendere, ita ut utraque cum alterius tum rationis partem contineat, id quod haud raro fieri supra demonstratum est. Utique POMPEII usus et ad constantem declinationem, ars non tantummodo ad regulas generales refertur, quandoquidem „infit" e. s. rectum ordinem declinationis neque in usu neque in arte ostendere dicuntur (V 232). Et AUGUST. V 495: „nam et participia — inquit — videntur comparationem recipere, si loquendi consuetudo permittat vel hortetur auctoritas e.q.s." Rationem hic deësse putemus?

3. Ad *singula* verba *declinationesque* limat Latinitatem CHAR. K. I 266; B. 351, ubi *barbarismos* tantummodo contra morem Latinitatis fieri tradit. Quod ita est intellegendum: cum vocabula et declinationum regulae vel paradigmata colligi possint, syntaxeos leges magis reconditas atque abstrusas deprehendere minus facile est factu. Ob id ipsum in ea disciplina Romanorum grammatica noverca fuit. SERV. IV 431 Latinitatem refert ad *coniuncta* quoque verba.

---

[1]) FROEHDE *o. l.* 140 sq. Latinitatis quoque definitiones collegit. Adicere potuit POMP. V 232: „novimus enim sermonem latinum his rebus contineri, usu arte auctoritate" et SERG. IV 562 (in calce pag.): „omnis latinus sermo tribus rebus tenetur usu arte auctoritate sqq."

CAPUT III. CONCLUSIO.

„. . . . die vorliegende Schrift (ist) in jeder Zeile von der Überzeugung getragen, dass Glauben und Wissenschaft aufs engste zusammengehören, dass jener in dieser sich aufzulösen, und dass mit der Weltanschauung sich tatsächlich auch die Anschauung der ganzen Welt in all ihren kleinsten Einzelheiten zu verändern hat." K. VOSSLER *Posit. und Ideal.* Heidelb. (1904) p. 5.

1. *Philosophandi necessitas.*

Aliquantum viae progressi per aspera nonnunquam itinera respiciendi studio capti, ut in uno conspectu iter dimensum consideremus, priusquam id incipiamus et de rebus tractatis iudicium facere conemur universe ac pro viribus, hoc praemittendum videtur, quod non semper satis fuerit cogitatum, *disciplinarum aedificii fundamentum simulque fastigium positum esse in philosophia.* Nemo hodie antiquorum quidem sententias ad philosophiam pertinentes in artibus cunctis quam intentissime indagari improbat. Quotus quisque est, qui suum ipsius de isdem rebus iudicium non minus ad sapientiam revocandum et persuaserit sibi et aliis confiteatur? Omnino tamen hoc fiat est necesse, non quo quis minus sibi credat suave ipse infirmet, verum ut cuique tribuat eandem philosophandi, id est dissentiendi, veniam. Haud raro scilicet de grammaticis antiquis hodierni satis acerbe iudicant ita, ut nemini addubitanda, recentiori eruditioni explorata certaque se promere arbitrentur, cum tamen ipsi, quod per se non est reprehendendum, ut qui maxime proficiscantur a philosophia opinionibusque praeiudicatis. Nos paucis indicare conabimur quibus in rebus gravissimis *philosophia ducti* grammatici aetatis nostrae veteres superasse sibi videantur, deinde philosophandi cum libertate sumpta tum facta confessione de analogiae disciplina ipsi quid sentiamus exponemus, simul inquirentes num grammatici Christiani nova eaque meliora exprompserint.

2. *Hodierni.*

a. STEINTHAL aliique [1]) EPICURUM *originem loquelae* explicantem

[1]) STEINTH. *o. l.* 318 sqq. CHRIST-SCHMID *Griech. Litt.*[6] 2. 1 p. 257 7. PHILIPPSON *Ph. W. S.* 27 Juli 1929.

laudant, nec mirum, ut qui ad recentiorum de ea re sententias propius accesserit. Hi quoque τὸ φύσει amplecti solent *humiliore sensu* acceptum sive, DEMOCRITI assectatores seri, a *materia* potissimum profecti (G. BAUMANN [1]); multo prius CONDILLAC et MAUPERTUIS), sive subnixi doctrina *pantheismi*, quem vocant (ROUSSEAU [2]), WILH. VON HUMBOLDT [3]), STEINTHAL [4]), RENAN [5]), MAX. MÜLLER [6]), L. NOIRÉ [7]), WILH. WUNDT [8]), alii). Hi omnes, aeque atque EPICURUS, quique praeterea de prima loquendi origine disputaverunt, quid habent aliud, quo confidant in re tam abstrusa nisi philosophiam suam? Quid de vetustissima loquela sentias hinc pendet, quid sentias de homine eiusque origine atque ortu [9]).

b. Analogiae propugnatores reprehendunt STEINTHAL (*o.l.* 476 sqq.), KROLL [10]), alii quod rationis catenas sermoni inicientes analogiam non contenti observasse superbe iubeant adhiberi normam, qua emendetur consuetudo. Sine dubio omnis grammatica nostra ab eiusmodi severitate quam maxime abhorret. Num propter quicquam aliud nisi huius saeculi philosophiam utcumque existimandam? Vincula nempe omnino haec aetas licentiae amantissima odit haud facile normas immutabiles agnoscens. Evolutionis quam vocant dogma cum multas in artes penetraverit, quae hodie leges valent sunt inprimis naturales sive eiusmodi, quibus resisti non magis queat quam antiquorum fato.

Quod ad orationem attinet, post GUILIELMUM AB HUMBOLDT potius ἐνέργεια quam ἔργον existimari solita vel propter id ipsum (latissime patens, natum ex ea philosophia, quae τὸ fieri τῷ esse anteponat) liberior est facta constantiae magna parte amissa. Sequitur ut multi *historiae* auctoritatem aspernentur, ut FR. SCHÜRR [11]): „Für den unserer Zeit eigenen ungemessenen Schöpferdrang ist historische Tra-

[1]) *Ursprung und Wachstum der Sprache* 1913.

[2]) *Essai sur l'Origine des Langues* Oeuvres Compl. Paris 1826 p. 110—125.

[3]) *Die Sprachphilos. Werke* 1884.

[4]) *Der Urspr. der Sprache im Zusammenh. mit d. letzten Fragen alles Wissens*[4] 1888.

[5]) *De l'Origine du Langage*[4] 1864.

[6]) *Lectures* 1861.

[7]) *Der Ursprung der Sprache* 1877.

[8]) *Die Sprache*[4] II (1922) 631 sqq.

[9]) „Entscheidend für die prinzipielle Einstellung des Sprachforschers, für seine Auffassung von den Aufgaben der Sprachforschung, ist, wie oft genug betont wurde, seine Auffassung vom Wesen der Sprache, bezw. vom Grundproblem des Sprachursprungs" (Fr. SCHÜRR *Sprachw. u. Zeitgeist*[2] 1925 p. 83).

[10]) *Stud.* 88 sqq. Vide 89 6 „Die uns sehr verständig vorkommende Forderung keine Norm (die Analogie) anzuwenden, sondern den allgemeinen Sprachgebrauch durch Beobachtung festzustellen, e.q.s."

[11]) *O. l.* p. 23.

dition jeder Art eine unerträgliche Fessel". Plerumque vero historiae cursui nunquam obstandum proclamant, quasi fatalis sit, neque conservandi corrigendive patrii sermonis munus suscipiunt.

Logica ab omnibus fere est *deserta,* quotquot sunt genera grammaticorum. Qui *psychologicam,* ut aiunt, viam ingrediuntur, *τῷ φύσει* illi quidem dediti sunt, verumtamen *τὸ κατὰ τὴν φύσιν,* in quo totius grammaticae antiquae cardo versatur, pernegant. Omnem curam atque operam in eo ponunt, ut orationis naturam proprietatemque non e cogitandi legibus rerumque natura ducant, sed ex animo humano [1]). *Θέσις sociologica* non magis rationi favet omnia summa quasi pacto et convento hominum tribuens, quod tamen, multo subtilius quam fecerat doctrina vetusta, sine consilio fieri statuunt. Sceptici qualis MAUTHNER hac quidem in re faciunt cum ea parte, quam praeclare tuetur K. VOSSLER („Sein Sprechen ist individuelle Tätigkeit seines auf Erkenntnis des Individuellen gerichteten Vermögens: Phantasie, Intuition, ästhetische Schöpfung, und enthält auch nicht das leiseste logische Element) [2]). Quid, si nihilominus rationabiliter oratio tractari *potest?* Ne qui logicae locus concedatur, ordo et constantia sermonis comparatur cum iis, quae gignit natura, „durchaus zweckmässigen und doch keines Zwecks sich bewussten organischen Bildungen" [3]). Quare interpretatio rationalis utilis illa quidem fuerit, sed neque naturam orationis patefaciat, neque rerum ipsarum, de quibus agitur, *γένεσιν* [4]). Quin fit, ut ipsae regulae, quas antiqua grammatica ut summae sapientiae artificium caputque rerum laudet, deficienti attribuantur facultati loquendi: „Das Defizit in der Sprachbegabung, die Grenze der geistigen Individualität, erklärten wir, sei der wahre Grund für das Zustandekommen von sprachlichen Konventionen, von Sprachgemeinschaft und Sprachregel. Es ist kein Minus, keine negative Kraft, sondern gar keine Kraft: Nichts!" [5]). Novimus quantopere vetustas amplexata sit differentias et discrimina, ut analogiae comites; hodie grammaticus nobilis innumeris unius verbi Britannici q. e. „cut" sensibus enumeratis „compare — inquit — with this the old languages

[1]) Ingenuose eam causam egit JAC. V. GINNEKEN *Principes de Linguistique psychologique* 1907. Postmodo aliam viam ingressus plus tribuit rationi aliisque normis. V. et alia et *De Oorzaken der Taalveranderingen* Mededeel. K. Ak. v. W. Letterk. (1925) 59 A.

Psychologica et sociologica ratio persaepe coniunguntur quamvis minus inter se concordent. EPICURUS iam quodammodo ambas rationes coagmentaverat.

[2]) *Positiv. und Ideal.* Heidelb. (1904) p. 29.

[3]) WUNDT *Die Spr.* II[4] 113.

[4]) Cf. WUNDT *o. l.* 494. HUMB. *Verschiedenh.* 41: „Das Zerschlagen in Wörter und Regeln ist nur ein todtes Machwerk wissenschaftlicher Gliederung".

[5]) VOSSLER *o. l.* 89.

with their separate forms for different tenses, moods, numbers and persons; ... and you will admire the economy of the living tongue" [1]). Alii orationis luxuriam accusant, quatenus copia nominum, formarum, constructionum idem fere valentium sit onerata: „So unvermeidlich aber die Entstehung eines solchen Überflusses ist, so wenig ist er imstande, sich auf die Dauer zu erhalten. *Die Sprache ist allem Luxus abhold*" [2]). „Toute langue est embarrassée d'une pléthore de synonymes inutiles" [3]). Eodem pertinet, quod multis doctis et indoctis sermonis nostratis casus neglegendi videntur.

Nullaene igitur virtutes quaeruntur? Immo vero *perspicuitas*, „die Hauptbedingung der Sprache" [4]), et *utilitas* [5]). Et psychologorum omnis generis cohors, qui quidem grammaticae operam dent, praeter commoditatem alia expetunt magis ad intimos cordis sensus et voluptatem animi pertinentia, *ita tamen ut homini cuncta serviant* [6]). Sociologicam rationem secuti haud raro omnem sermoni veram elegantiam detrahunt, quippe meris signis symbolisve constanti, comparando cum charta, quam monetarii signaverint. Quid pertinet ad *θέσεως* illius cultores norma pulchritudinis? Quid honestatis pudorisve? Nullum nomen per se turpe putant vel impurum [7]).

Contra veteres oboediendum et aliis legibus et rationi certo sibi persuaserunt, quae et utilitatem quidem affert, sed ipsa est summa lex, immutabilis, posita in natura rerum. Cum ea re coniunctum est, quod una voce universi fere grammaticae antiquae (magnaeque parti recentioris) obiectant illos scilicet non germanam scientiam coluisse, illis linguarum studium non ultimum propositum fuisse per se expetendum, verum adiumentum tantummodo ad orationem melius utendam explicandamve [8]). Eius autem grammaticae vestigia multa saecula pressit *philologia* recentiorum, donec nova orta est doctrina, quae *„Sprachwissenschaft"*, „linguistique" vel simili nomine dicta, cum

---

[1]) JESPERSEN *Language*[2] 333.

[2]) H. PAUL *Prinz.*[5] 251.

[3]) A. DAUZAT *La Philos. du Lang.* 168.

[4]) SCHUCHARDT *Brevier* 326.

[5]) H. PAUL saepe „das Bedürfnis"; JESPERSEN *o. l.* 324 admiratur „the greatest amount of meaning with the simplest mechanism"; VENDRIJES *Le Lang.* 283: „L'usage est toujours déterminé par l'intérêt de la communauté, qui est ici le besoin d'être compris".

[6]) Cf. JESPERSEN *o. l.* 324: „The estimation has to be thoroughly and frankly *anthropocentric*".

[7]) LECOUTERE *Inl. tot de Taalk.*[2] 1921 p. 205: „In de taal is niets *deftig* noch *gemeen*, enz."

[8]) Cf. W. KROLL *Studien* 88; KRETSCHMER ap. G.-N. *Einleit* I[3] 2, 6, JESPERSEN *o. l.* 24.

sorore aliquantum temporis rixata diebus nostris pacem componit. Illud tamen, quo inter se disciplinae istae distabant, non magis ad provincias diversas pertinebat quam ad sententias de natura sermonis illic magis antiquas, hic novas e nova sapientia manantes [1]). Quam ob rem ita tantum philologiae cum illa altera gratia esse poterit, si funditus mutata matrem eiuraverit.

An dubitemus adhuc fidene ac philosophia quadam nitatur novum hoc linguarum studium? Disciplinae eius historia ea est, quae omnem dubitationem tollat. Natam esse e Romanticorum, qui dicuntur, sententiis, quos tamen philosophiae se dedidisse est consentaneum, nemo quod sciam, negat. GRIMM [2]), HERDER [3]), HUMBOLDT [4]) aliique non solum similitudinibus physicis, quibus orationem cum arbore vel corpore crescente, florente, senescente comparant, verum insigni pantheismi nota, qua opera eorum distinguuntur, satis declarant, cuius sint ingenii disciplinaeque. *Νεογραμματικῶν* qui eos sunt secuti ieiunitas, docentium fati cuiusdam necessitate omnia in oratione fieri, ita ut homines ipsi nihil sentiant, nihil voluntate immutent, neque progredi historiam linguarum neque inclinari, tam manifesto ad eius aetatis indolem est revocanda, ut verissime VOSSLER: „Man kann nicht, ohne ein Wirrkopf zu sein, in der Philologie an Lautgesetze glauben und in der Philosophie auf dem Standpunkt des kritischen Idealismus stehen" [5]).

Denique qui hodie sive *τὴν ψυχήν* [6]) sive societatem hominum ultimam originem summumque loquelae finem arbitrantur profecto non usu rerum ducuntur merisque factorum observationibus, verum proficiscuntur a fide quadam et opinionibus praeiudicatis. „Zu den Weltanschauungskämpfen, deren Stätte die neue Philosophie wie die neue Kunst ist, muss die Wissenschaft unweigerlich Stellung nehmen". Astipulamur ei sententiae FREDERICI SCHÜRR, quam apte illustrat libello supra [7]) allato p. 3 et passim, dignissimoque qui legatur, quod

---

[1]) Cf. KRETSCHMER *o. l.* I[3] 1, 6 de philologiae „veralteten sprachwissenschaftlichen Anschauungen". Itaque in ea disputatione, qua nauci non esse luculenter ostendit v. cl. VAN GINNEKEN opinionem eorum, qui meris sonis constare orationem sibi persuaserint, philologos vere iudicasse censet *(Voor of tegen Kollewijn* Utr. prov. en stedel. Dagbl. 12 Nov. 1930).

[2]) *Ueber den Ursprung der Sprache*[4] 1858 imprimis p. 24, 28.

[3]) *Abhandlung über d. Urspr. d. Spr.* 1772.

[4]) *Verschiedenheit des menschlichen Sprachbaues* 41, 63, 55, 5, 8; *Sprachphil. Werke* 153, 199, 345.

[5]) *Pos. u. Id.* 5.

[6]) DR JAC. V. GINNEKEN S. J. (*Als ons Moedertaalonderwijs nog ooit gezond wil worden* Nijmegen 1917 p. 65) commemoraverat „de opperheerlijkheid van de individueele psyche."

et qua necessitate BERGSONII philosophia et qua aliae sectae cum hac disciplina coniungantur certissimis argumentis edocet.

3. *Iudicium nostrum.*

Quodsi cum linguarum studium tum iudicium de antiqua disciplina quod fit haud alienum est a fundamento sapientiae, nos quidem quin ipsi quoque subiective, ut aiunt, disputaturi simus nullo modo dubitamus, ita ut omnino is tantummodo nobiscum consentire possit, qui eadem confiteatur dogmata.

Et quidem, ut IOANNIS CALVINI sectator, credo *Scripturae Sacrae* revelationem nobis lucernam pedi, itineri lucem esse datam (Ps. 119_{105}), necessariam dignamque absoluta fide, non solum ad pietatem animi, verum ad omnem vitam cunctaque litterarum studia. Sententias supra adumbratas minus impugno quam non sequor doctissimorum virorum auctoritati praeferens non meum ingenium verum fidem *Codicis*.

Docet ille propter superbiam humanam a Deo linguarum confusione facta integram orationem, quae ab Adamo tradita omnium esset, perisse. Praeterea peccatis nostris cuncta vitae instituta moresque corruptos corrumpi pergere, quamquam divina nobis gratia influat gravissima damna resarciens reparansque.

Credimus igitur discessione semel facta novas semper linguas nascentes quadam ex parte cum numini divino probatas, tum saluti esse generi humano, ut quae promant et augeant varias multiplicesque gentium diversarum facultates. Tantum autem absit, ut cursui rerum omnia neglegenter debeant permitti, ut potius in unaquaque lingua summo opere unitas sit expetenda — quippe sermo, antiquitus *omnes* coniungens, ad consociandos non divellendos homines datus est — ut honesta decoraque omnimodo sint praeferenda turpibus abiectisve — laedunt enim haec linguarum quoque Dominum — ut aequabilitas, constantia, ratio magna cum cura sint conservandae colendaeque — praeclarissima munera eius Dei, cuius *χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως* appellatur *Ὁ ΛΟΓΟΣ*[1]), quique hominem finxerit in suam effigiem.

Tali doctrina, summatim hoc loco ponenda, subnixi multa nos quidem admiramur in Romanorum grammatica, quae haec recentior deseruit: oratione voluisse eos rerum naturam imitari, prae veritate omnes res plerumque postputasse, cohibuisse anomalias, indagasse ordinem rationemque sermonis, decori studuisse omnisque generis elegantiis, ut qui stabiles ratasque normas novissent, non ex hominum commoditatibus pendentes. Admiratio autem studii illius nobilis altique

[1]) Cf. *Hebr.* 1_3; *Joh.* 1_1.

quamvis sincera non impedit, quin alia eaque gravissima antiquitati non crimini dare haud possimus.

a. Inventa et excogitata sit oratio? Immo a Creatore eodemque linguarum omnipotenti Confusore. Is gradus et aetates quoque cuiusque linguae moderatur hominum loquentium opera usus, qua praeclara sua artificia condat. Dimidiatam ergo veritatem et antiqui et hodierni obtinuisse mihi videntur, quoad numinis, qualecumque est, rationem habent illi magis homines ad divinum fastigium extollentes, hi vero Deum prementes usque ad humilitatem nostram, utrique monismum amplexati. Rectissimae multae „rationes" illorum, dummodo concedamus his non loquentium genera eas machinata esse. Verissime cum QUINTILIANO de analogia hi possint dicere: „inventa est, postquam loquebantur" (I 6. 16), modo ne adiciatur (*l. l.*): „Itaque non ratione nititur, sed exemplo, nec lex est loquendi, sed observatio sqq." [1]). Si verbis antiquis est utendum: primitivum sermonem *φύσει* sive *κατὰ τὴν φύσιν* censemus, ita tamen ut simul fuerit *θέσει* divina. Neque deërat altera illa *φύσις* — nequibat Adamus non uti elementis orationis, quae Deus dederat — neque *θέσις* humana, siquidem nomina certa invenit auctor generis humani.

b. Cognitionis humanae, quam a divina vel recta ratione non discernunt, naturam prave interpretati veteres subiectivam rationem tantum non ignorant [2]). Hinc maxime id efficitur, quod neque *pro mensura humana* cum rerum naturam nos novisse tum cogitata eloqui neque *variis modis* (ut a nocentibus) *bene* fieri cognitum atque perspectum habent. Quanta iactatio in definitionibus ac veriloquiis! Quam male ad exemplar unum omnes linguas fingere voluissent, sermone barbarorum spreto Graecorum praesertim auctoritatem venerantes! Confidentiam pristinam non minus quam huius aetatis diffidentiam veriti nos in orationis thesauris multam sapientiam credimus esse depositam, qua, ut homunciones, aliquantum iustae notitionis possimus habere naturae rerum [3]). Nec nos parvi facimus grammatica praecepta, quasi

---

[1]) Plus aequo ex sententia ea petit STEINTH. (*o. l.* 519): „die Analogie hatte kein Recht mehr, da sie selbst zur Anomalie umgeschlagen war." Nullo certe iure et aliis et hisce verbis quomodo analogiae et anomaliae certamen sit finitum exponit: „So hat sich denn das Princip der Analogie in seinem nothwendigen Fortgange als in sich unhaltbar aufgewiesen und ist vollständig zur Empirie, Observatio, *τριβή, τήρησις* umgeschlagen ... Ihre Vernichtung der Gegnerinn war zugleich ihr eigener Untergang" (*o. l.* 522).

At QUINTILIANI sententia non vicit; praeterea anomalia non est sublata.

[2]) VARRO nihil inter naturam et voluntatem sive libidinem interponit, praeter (fortasse) usum.

[3]) Non adsentior MULLERO (o. l. 155) accusanti VARRONEM quod „rerum cognitionem cum earum per linguam enuntiatione arcte conexam esse putavit sqq."

in diversis linguis dissimillima nihil fere pertineant ad sentiendi cogitandique leges [1]), verum ubique agnoscimus eandem rationem quamvis forma ac praestantia multum variantem. Denique antiquum sermonis cotidiani illitteratique fastidium improbantes in *omni* oratione *aliquid* saltem muneris caelestis dispicimus. Veterum superbiam quominus sequamur haec quoque res gravissima impedit:

c. infirmitatis nequitiaeque humanae non plane antiqui ignari tamen summam virium et facultatum generi nostro mansisse putant. Sequitur, ut grammatici integram maximam partem orationis naturam arbitrentur neque habentes quomodo linguarum divisionem neque quomodo anomaliam, quae non semper dissimulari potest, apte explicent.

Non eodem audaciae progressi atque horum temporum vv. dd. ei, qui naturae nostrae corruptionem infitiati cuncta naturalia, proba, legitima existiment, antiqui variis rationibus potius conspectum anomaliae adimere conantur aut culpa eam liberare. Quot modis ratio vexetur doctrinae muniendae causa longum est dicere. Iis exemplis, quae supra passim leguntur, pauca tantummodo addentur. „Proconsul" rationabilius creditur quam „proconsule", quoniam alioquin „debes dicere et procuratore" ([Serg.] IV 499). Inchoativum dicitur perfectum habere nequire, quia nihil aliud sit nisi quod inchoet (*o. l.* 506). „Si enim optativus modus dicitur ab eo quod optet, praesentia, id est quae habemus, optare non possumus" (o. l. 509). Cf. praeterea II 81. Tali rationis abusu et eiusmodi fraude animi vacat saltem grammatica recentior. Veteres autem vix habebant quo modo et analogiae doctrinam servarent et parcerent stricto iure carenti consuetudini. Nos quidem inconstantia nulla dissimulata quae, historia quasi signata, inveteraverunt ea divina lege confirmata censemus anomalias novas, quam latissimo sensu acceptas, ut possumus arcentes. Ea quae videri potest discrepantia (posita in Dei voluntate duplici *praecipiente* et *decretiva*) neque cum antiquo *monismo* convenit neque cum hodierno.

d. Perverse scilicet de *historia* veteres, cuius bonam partem consuetudinem saepe vocatam contra fas iuribus suis privant, quasi sit hostis importunus ac praepotens, quem patiamur sit necesse. A numine divino administrari quaecumque fiunt minime inter eos constabat, ne Zenonis quidem discipulis: „So herrscht in der Stoa eine lebhafte, allerdings selten eingestandene Tendenz zu demselben Gottesglauben, den J. St. Mill hegte, indem er erklärte: „Allmacht kann daher auf Grund der natürlichen Theologie nicht vom Schöpfer ausgesagt werden" [2]). Quare et in sermonis historia quae invaluerunt contra

---

[1]) Ut Dr Jac. v. Ginneken S. J. *Taalk. Afdwalingen* (1923) p. 13.

[2]) Barth *Die Stoa*[2] 66.

rationem vere legitima agnoscere non solent. Inde nimium nonnunquam ineptumque emendandi studium; inde nimia grammaticorum ac sermonis eruditi auctoritas. Haud sane melius vero m. q. s. qui hodie aut historiam spernunt aut inertes omnia ei permittunt.

e. Auctoritati iusto plus antiqui tribuunt, neque in grammatica sola, hac quoque in parte hodiernis quam maxime oppositi. Neutri, si quid video, quid Deus per homines efficiat recte perspexerunt, illi quidem consuetudinem despicientes, hi summorum virorum iudicium usumque loquendi non satis observantes. Vitanda fuerit cum vetusta *ἀριστοκρατία* tum *δημοκρατία* nova. Perniciosior tamen haec ut licentiae plena. Quis enim veterum impotenti dominatione, a VARRONE poëtis concessa, uti ausus sit? At hodie spurcissima quaeque scribuntur.

4. *De grammatica Christianorum.*

Ea nos *Sacrae Scripturae* doctrina confisi. Hic rogat quis: quid de grammaticis, qui religionem Christianam crebri profitebantur?

a. Numquid religio Christiana *mutavit,* an quae vestigia eius passim frequenterque offendimus obiter modo visitasse eam grammaticae provinciam ostendunt? Admodum pauca, quae quidem sint graviora — nomina propria commemorata neglego — ex *Codice Sacro* esse hausta est, quod mireris. Altissimam illam quaestionem, quomodo simul una possit esse oratio et plurifariam discerpta grammatici Christiani, etsi multo melius quam doctores Pagani solvere potuerunt, non serio dataque opera tractasse videntur. Commemoratur divulsus sermo turrim Babylonicam aedificantium [1]), sed quid cognitio ista praestet ad iudicium de *τῷ φύσει* et *τῷ θέσει,* de analogia et anomalia faciendum frustra rogamus. Illi non perspiciunt, si propter hominum peccata lingua illa splendidissima perfectaque, qua Paradisi cultores sapientes et integri erant usi, disiecta vel transfigurata est in linguas plures, nullo modo istas omni ex parte posse „secundum naturam" conformatas esse. Non intellegunt loquelam nostram, ut omnia humana, corruptam, vitiatam esse putandam, si quidem *Scripturae Divinae* fides est habenda. Immo vero *τὸ φύσει confirmare potius quam infirmare videntur.* Accidentia partium orationis e natura creaturarum ducunt (cf. supra p. 71); de similitudine litterae atque aetatis hominum cf. supra p. 128 [2]. AUGUSTINUS „verbum" quasi e *verum* boando contractum intellegi minime vetat (VARRO fr. 265 F.; 130 G.-SCH.). Defenditur DONATUS metaphysicis rationibus, quas ille legens subrisisset, ut opinor (VIII

[1]) CLEMENS (TOLK.) 22. Quid illud prodest, quoniam Hebraea lingua ante diluvium primitiva habetur ita, ut nihil fere interesse videatur inter linguam integram et corruptas?

208; cf. supra p. 62). Eadem fere ratione VIII 253, ubi natura exaequatur cum Deo, atque id quidem, cum de hominis creatura agatur! Vide praeterea supra p. 64. Natura arti opponitur — non eodem prorsus modo atque fecerat VARRO — hisce verbis: „Naturalior est in vocibus simplicitatis ostensio, quia, quando mundi elementa facta sunt, primitus simplicibus nominibus usi sunt, postea autem per artem voces conpositae factae sunt e.q.s." (VIII 85). Quid iam distat vir perfectus atque sanctus, quem Dei manus crearat, ab imperitis istis impositoribus VARRONIS? Denique aequo animo philosophiam saecularem conglutinant cum fidei suae doctrina quamvis ab ista abhorrente [1]). CLEMENS (5) simpliciter *Litteras Sacras* per tres philosophiae partes distribuit Canticum Canticorum euangeliaque subiungens logicae. Optime comparari possunt quae de fidei Christianae propugnatoribus scribit BARTH: „bei allen Apologeten bilden die stoischen Lehren fast allein, nur wenig mit den platonischen vermischt [2]), einen gewissen Untergrund des vernünftigen, auf dem sich das Übervernünftige des Glaubens erhebt" [3]). Quamquam *hoc* non deëst quidem, sed ut in studiis a religione quodammodo remotis magis hic illic adiectum invenitur. Id ipsum, quod novum in grammaticam invehitur, cuius est modi?

b. Vulgatam quam vocant *Codicis Sacri* translationem a Spiritu Sancto, quasi summae auctoritatis scriptore, integerrima Latinitate esse compositam nonnulli credunt ita, ut ipsius DONATI praecepta prae eloquentia illius levia sint putanda (VIII CIV; 180; CASSIOD. VIII 215: „mihi quoque durum videtur, vitia dicere quae auctorum exemplis et maxime legis divinae auctoritate firmantur"). Ea quoque res, cuius inanitatem arguere supersedeo, non multum novi affert, quatenus auctoritatis venerationem nonnisi in alios „auctores" transfert [4]). Hinc tamen *quasi certamen grammaticorum auctorumque* nascitur, quale saecula superiora non viderant, propterea quod ipsi artium latores auctoritatibus usi erant et subnixi. *Auctoritas autem ipsa gravis, multo valentior facta* Scripturae *nomine sancto, grammaticae gratiam non imminuere non poterat.* Quae prius propter *„arta"*

---

[1]) Satis est mirum, quod grammatici vulgo, quamvis „cacenphatorum" acerrimi venatores, obscena verba nulla re cogente in exemplis afferre nihil gravantur; mirum magis, quod talibus ne Christiani quidem abstinent.

[2]) Fortasse apud PRISC. quoque; cf. III 135: „... generales et speciales formas rerum, quae in mente divina intellegibiliter constiterunt antequam in corpora prodirent e. q. s."

[3]) *O. l.* 249.

[4]) Paulo melius BEDA (VII 281): „neque enim *Hieronymus* grammaticorum regulam ignorabat, qui in propheta Abacuc (c. 1, 2) ita transferre non timuit e. q. s." Idem *Cod. Bern.* 83, qui Spiritus Sancti auctoritatem allegat (VIII 180), AUGUSTINI et HIERONYMI usu loquendi *Scripturae* quandam lectionem tuetur (182).

breviaque praecepta summo honore affici solebat, iam eam ut „angustam et *artam* artem" spernunt — etymologiae vi immutata — extollentes „rhetoricam amplissimam latitudinem" Spiritusque Sancti libertatem (VIII 180). Iam prius scriptores ecclesiastici talia protulerant. E GREGORIO MAGNO (*ep.* 5, 53a p. 357, 33 E.—H.) haec affert SCHANZ: „ipsam loquendi artem ... servare despexi. nam sicut huius quoque epistolae tenor enuntiat, non metacismi [myotacismi?] collisionem fugio, non barbarismi confusionem devito, situs [hiatus?] modosque [motusque] et praepositionum casus servare contemno, quia indignum vehementer existimo, ut verba caelestis oraculi restringam sub regulis Donati. neque enim haec ab ullis interpretibus in scripturae sacrae auctoritate servata sunt" [1]). Atque ARNOBIUS *Adv. Nationes* I 59 ea via ad Scepticorum anomaliam defertur: „nullus sermo natura est integer, vitiosus similiter nullus". Pro eo, ut saecularis sapientia accurate perlustretur, quod sit pravum recidatur, retineantur utilia, pro eo cuncta bona atque mala temere abiciuntur. AUGUST. *Conf.* I 18, 29 inter se opponit „pacta litterarum et syllabarum accepta a prioribus locutoribus" et „a (Deo) accepta aeterna pacta perpetuae salutis". Eo modo et ratio et historia indignissime spernuntur. Aeque peccabant qui Christiani Euhemeri doctrina vili abiectaque assumpta neglegebant quae in religione Paganorum antiqua e nobiliore quodam impetu animorum erant nata.

c. Oriuntur deinde commenticiae quaedam narratiunculae de litteris ante diluvium ab Enoch inventis, de duabus columnis inscriptis, de Hebraeorum litterarum repertore Moyse, de lingua Hebraica omnium linguarum et litterarum matre, quaeque plura ex eo genere expositione vix sunt digna (Cf. VIII XXIV, XXXVIII, 221).

d. Singula verba constructionesve mira enodantur explanatione, quo ex numero affero „Iuppiter Optimus Maximus" (Euhemeri philosophiae ope illustratur VIII CCXIV sq.); „monile" („dicitur a monendo, eo quod moneat mentem mulieris subditam esse debere viro suo" VIII 239); „feriae" („a fando, quia deus in creatione mundi dixit: „fiat fiat" VIII 241). Ad syntaxin pertinet (ASPER VIII 59): „quoties ad bonam partem gressus dirigitur, ponitur in ablativo casu, sicut dictum est: „Benedictus qui venit in nomine Domini."

e. Illud tamen doctrinae Christianae acceptum est referendum, quod

[1]) *Gesch. d. Röm. Litt.* IV 2, 622. Duae coniecturae sunt reiciendae. Metacismi (pro myotacismo) nomen invenitur etiam VIII CXV; „situs" omnino retineamus oportet: motui opponitur et alibi et cum significatur praepositiones („in", „sub") cum ablativo neque cum accusativo esse coniungendas (cf. CASSIOD. VII 144 „modo ex motu atque situ"; AUG. V 523 „quo in locum motus est, ubi in loco situs est sqq.").

ingenia doctorum prius per diversas artes liberales quasi divisa iam eo extollit, unde cuncta concurrentia videant ad cognitionem laudemque unici Dei. In sublimi illo et excelso despectu, quo neque polytheismi, ut aiunt, neque pantheismi ministri unquam escendere possunt, vivescunt calescuntque studia cuncta, ex ipsis hominum cordibus efflorescentia, reperitur unitas animi, mundi cohaerentia, vinculum quo scientia cum religione copulatur, imbuuntur denique animi confessorum ingenti admiratione et amore Creatoris eiusdemque Fontis Sapientiae. Longior quam ut exscribatur exstat PAPIAE quidam locus (VIII CLXXIX sq.), quo nihil sit aptius ad novum illum spiritum pietatemque cognoscendam, flagrantem desiderio sapientiae aeternae et purae. Et de aliis rebus et de opera orthographiae navata propter *Codicem Sacrum* dicitur: „Haec ergo procurata sunt, ut milites Christi certissimis signis admoniti ad opus exercendum divinum quasi tubis clangentibus evocentur" (VIII CXXXXIII). Cf. AGROEC. VII 113: „hoc est vere summum dei sacerdotem esse, commissos sibi homines, ut ipsi dicitis, et secundum spiritum imbuere et secundum litteram perdocere;" cf. praeterea VII 210. De suo opere PETRUS GRAMMATICUS:

„Hoc opus, exiguo quod cernis tramite, lector,
Iam Petrus Domini fecit amore sui." (VIII 159)

Simul tamen *mysticum* quiddam irrepere potest, quemadmodum manifestum est ex otiosis de alphabeto alucinationibus. Denique religio Christiana magis mentibus animisque grammaticorum profuit quam ipsi grammaticae et quaestionibus gravissimis pertractandis.

LIBRI CONSPECTUS.

PRAEFATIO 7

CAPUT I. DE M. TER. VARRONE 9
§ 1. De Analogiae Fundamento 9
1. Declinatio naturalis 9
2. Natura fundamentum 10
3. Fragm. 115 (G.-Sch.; = 268 Fun.) 11
4. Discrepantiae quaedam, quae videntur 14
2. De Analogiae Forma 15
1. „Ipse eius rei formam exponam." (X 1) 15
2. Analogia. Pro portione 16
3. Ratio 18
4. Similitudo et dissimilitudo 19
5. Analogia artis 21
3. De Analogiae Usu 22
4. De Anomalia 24
1. Impositionis anomalia 24
2. Impositionis analogia 28
3. Declinatio voluntaria; declinatio naturalis 29
4. Impositio 31
5. Consuetudo 32
6. Utilitas 33
7. Anomaliae infitiatio 35
5. De ratione, qvae intercedit inter philosophos, imprimis Stoicos, atqve Varronem 36
1. Chrysippi anomalia; quo modo intelligenda . . . 36
2. Chrysippi anomalia; quo modo explicanda 39
3. Analogiae doctrina et philosophia Stoicorum . . . 41
4. L. Aelius Stilo 43
5. Scipionis circulus 45
6. Sceptici 48
7. Epicurei 49
8. Pythagorei 52

§ 6. Iudicium 53

CAPUT II. DE POSTERIORIBUS GRAMMATICIS 57
§ 1. Natura 57
1. Natura rerum, orationis fundamentum 57
2. Natura loquelae auctor 63
3. Natura arti opposita 65
4. Natura orationis 68
2. Analogia 73
1. Definitio 73
2. Analogia positionis 75
3. Analogia quomodo sit orta 76
4. Analogiae gradus 77
5. Analogia mutationum 77
6. Analogia = orthographia 77
3. Ratio 79
4. Regula 86
5. Rectus 89
6. Observare (Observatio). Servare 91
7. Necessitas 93
8. Debere 95
9. Analogiarum Conflictio. Ius. „Posse dici" . . . 96
10. Anomalia. Inaequalitas 98
11. Consuetudo. Usus 102
12. Auctoritas 108
13. Vetustas (Veteres. Antiquitas. Antiqui) 111
14. Euphonia (Suavitas. Sonoritas. Vocalitas) . . . 112
15. Brevitas 118
16. Differentiae 119
17. Barbarismus. Soloecismus 121
18. Syntaxis 125
19. Litterae et Elementa 128
20. Accentus 130
21. Latinitas 131

CAPUT III. CONCLUSIO 133
1. Philosophandi necessitas 133
2. Hodierni 133
3. Iudicium nostrum 138
4. De grammatica Christianorum 141

INDEX RERUM

(IUXTA LIBRI CONSPECTUM CONSULTANDUS).

Analogia (cf. ratio): defin. triplex 22 sqq.
— severior et remissior 15, 23, 28, 54, 74 sq.
— rationes analogiae 18, 74 sq.
— duplex, quadruplex 16.
— „falsa" 70 sq.
— quomodo orta 9, 64 sq., 67 3, 68, 76 sq., 111, 139.
— captiosa defensio 36, 53 sqq., 60, 64, 140. Cf. anomalia.
— rerum 11, 17 4, 18, 58, 120.
— artis 11 2, 18, 21 sq., 54.
— naturae 10 sq., 17.
— impositionis 14, 28 sq., 66 sq., 74 sqq., 99, 102, 130 sq.
— etymologiae, derivationis, compositionis 12 sq., 13 2, 19, 29, 65, 74 sq., 76 1, 78.
— syntaxeos 19, 74, 76, 79, 81, 124 sqq.
— orthographiae 74.
— accentuum 131.
— litterarum 128 sqq.
— iuris prudentiae 97.
Anomalia excusata 73, 83, 86, 86 1, 94, 96, 100 sqq., 102, 117, 120, 128, 140. Cf. analogiae captiosa defensio.
Auctoritas (ap. Quint.) 13 2. Eius nomen consuetudini datum 108 sq.

Barbarae linguae 14 1, 68.
Barbarismorum et soloecismorum doctrina confusa 121 sqq.
Barbarolexis 123 sq.
Brevitas (duplex) 49, 51, 118.

Cacenphata 110 2, 142 1.
Cognatio (adfinitas) verborum, temporum, elementorum 69 sq.
— rerum 10. Cf. 69.
Consuetudo recta et vitiosa 33, 35, 102 sqq.
— tyranna 22, 104, 140.
— quousque sequenda 22 sq. Cf. euphonia.
— et syntaxis 124 sq.
— (ap. Caprum) 102 2, (ap. Quint.) 13 2.

Deficientia 10, 36, 60.
— et anomala 99 sq.
— nemo expleta vult 105.
Definitio 58, 59.
Differentiae (discrimina) 11, 17 4, 20, 20 2, 102, 119 sqq., 128, 131, 135.
— facticiae 120 sq.
„differentiae causa" 86, 94, 101, 120.
Dissimilitudo (duplex) 20 sq., 53.
Duplices formae probatae 98, cf. 128.

Ἑλληνισμός 41, 44 sq.
Etymologia 58, 58 1, 2, 59, 79, 84, 90, 103, 104 3. Cf. analogia.
— prave adhibita 58, 76 1, 2.
Euphonia 72 sq., 85 sqq., 97, 123.
— et consuet. 113 sq.

Fortunae casus 73.
Fundamentum (ap. Varronem duplici sensu) 10, 14.

Genera 59, 76 2, 105, 105 3, peccata contra — soloecismi an barbarismi? 122 sq.
Graeca lingua c. Latina comp. 10, 18, 41, 76, 102, 131.
Grammaticae antiquae indoles 82, 123, 125, 136.
— auctoritas imminuta 142.

Historia 78, 104 3, 109 1.

Inaequalitas non ita odiosa atque anomalia 100 sq.

Latinitas 106. Eius „modi" 11 sqq., 11 3, 12 3, 123, 131 sq.
Licentia grammaticorum 59, 105, 120 sq. (cf. 131 3).
Linguarum confusio 138, 141.
Litterae (elementa) 63. Cf. analogia et natura.
Litterae Sacrae a grammaticis Christianis neglectae aut perperam adhibitae 61 2, 141 sqq.
— quid grammaticam tractantes nos doceant 138 sqq.

Logica hodie fere deserta 135.
Metaplasmi 123.
Monismus q. d. antiquus et hodiernus 25, 40 sq., 95, 139 sq.
Mos 103 1.
Musica 34, 52, 130 2.
Mystica ratio 129, 144.

Natura = deus 26, 64, 77, 142.
— rerum disting. a natura orationis 10 2, 72 1.
— (ap. Pansam) 102 2, (ap. Plin.) 122 sq.
— et accentus 130, 130 2.
— litterarum 72, 128 sqq.
— et litterae 128 sq.
— et syntaxis 126 sq.
Naturalis (-iter) 66, 72, 72 3, 126, 130. Cf. ratio.
Necessitas 70, 72 sq., 120.
Nova verba 45 sqq., 70 6, 105.

Ordo partium sermonis et accidentium 61 sqq., 126
— litterarum 129 sq.
Ὀρθοέπεια 90, 90 1.
Origo loquelae 49 sqq., 64 sq., 107, 133 sq., 137, 139, 142.
Orthographia 12 sq., 48, 49 2, 74, 77, 78 sqq., 118, 121, 123. Cf. analogia.
— habet suam euphoniam 114 sqq.

Philologia et „Sprachwissenschaft" 136 sq.
Positio (positive) 71 sq., 100.
„Proprietas" 84 1, 87 1. Cf. 124.
Psychologica ratio 68 sq., 135 sqq.

Ratio: eius variae significationes diligenter distinguendae 79 sqq. Cf. 126.
— = „betrekking" 16, 19.
— et analogia; quid intersit inter eas 80 sqq.
— et causa distinguendae 84 sq.
„ratio recta" 41, 78 sqq.
ratio subiectiva plerumque antiquos fefellit 57, 59, 139; nonnunquam dispicitur 60, 71, 127.
„ratio naturalis" (duplex) 72 2, 72 3, 79, 130.
„ratio sonorum" 83, 96.
rationis gradus 72 3, 82, 86, 89. Cf. 77, 97, 97 1, 100 2.
Rectus 78, 97.
Regula 99 1.
— et analogia 87 sq.
Ritus 103 1.

Schemata 124, 127.
Sermo cotidianus 70 5, 123 sq. 140.
Significatio 11, 57 1, 58, 71, 95.
Similitudines mechanicae 11 2, 69.
— physicae 9, 68 sqq., 137.
— poëtarum 16.
Similitudo = analogia 16, 18 sqq.
Sociologica ratio 69, 135 sqq.
Sonorum leges ab antiquis quasi praeceptae 69 sqq. Cf. 77.
Syllaba natura longa (brevis) 71 sq.
Syntaxis 58, 76, 79, 94, 105, 112 4, 121 sqq., 132. Cf. analogia.
Usus a consuetudine distinguendus 10 2, 11 sqq.
— cum natura coniungitur 10, 10 2, 14.
— loquendi distinguendus ab usu rerum 10 2, 15, 24.
— non semper anomaliam significat 106 sq.
Utilitas (duplex) 33 sqq., 42, 51 2. Cf. 136.
de utilitate sermonis libri a Varrone scripti 33 sqq.

Vetustas (ap. Quint.) 13 2.

Φύσις et Θέσις 25 sqq., 37, 39, 40, 41, 41 3, 42, 44, 49 sq., 52, 66 1, 67 3, 72, 127 sqq., 134 sqq., 139, 141.

INDEX NOMINUM.

Aelius Stilo 31, 46, 96, 98.
Alexandrini 13, 18, 26, 38 1, 104 3.
Apollodorus 24 1.
Apollonius 125.
Aristarchei 38 3.
Aristarchus 17 1, 37, 38 3, 42 sq., 74.
Aristophanes 18 1, 74.
Augustinus 37 2, 39, 39 1, 143.

Barth 38, 140, 142.
Barwick 37 3, 44 1, 4, 66, 66 3, 67 3, 74, 80, 99 1, 102 2, 104 3, 112 1.
Bonald, De 61 3, 129 4.
Brambach 78 2, 121 1, 2.

Caesar 24 1, 45, 45 5, 46 4, 74 sqq., 120, 128.

Caper 102 2.
Christiani 61 2, 62, 64 sq., 77, 110, 129, 141 sq.
Christ-Schmid 39, 42 5, 133 1.
Chrysippus 36 sqq.
Colson 24, 32, 39, 74 1.
Crates 37, 42 sq.
Curtius 71.

Dahlmann 25, 50, 52 3.
Dionysius Thrax 80.
Donatus 142 sq.
Dornseiff 129 1, 3.

Epicurus 49 sqq., 133, 135 1.

Froehde 12 3, 128, 131, 132 1.
Funaioli 74, 107 2, 120 2.
Georges (minus recte vertit) 31 1, 55 1, 63 1, 69 2, 71 5, 82 1, 100, 117 2, 124, 127 3
Ginneken, v. 116, 116 1, 135 1, 137 1, 6, 140 1
Goetz 15 2, 44, 56.
Goetz-Schoell 27, 31.

Holzer 34 5, 52 4.
Humboldt 62 1, 134, 135 4, 137.

Jespersen 59 2, 62 1, 126, 136 1, 5, 6.

Kowalski 15, 24 1, 34 2, 3.
Kroll 46, 67 2, 70 6, 111 1, 2, 115 3, 123, 134, 136 8.

Lersch 32 2, 84 1, 107 2, 123, 134, 136 8.
Lucilius 45 4, 47 sq., 60, 81, 115 sq.
Marx 43.
Melissus 84 1.
Muller 9 3, 11 1, 23 1, 2, 25, 27, 31, 46, 51, 139 3.

Νεογραμματικοί 70 sq., 86 1, 137.
Neoplatonici 65. Cf. 142, 142 2.
Nig. Figulus 27, 37 4, 52.
Noiré 62 1, 134.
Norden 45 3, 4, 47, 47 1.

Panaetius 43 sq.
Pansa 44 1, 99 1, 102 2.
Paul 136 2, 5.
Philippson 50, 50 1, 133 1.
Priscianus 94, 101 sq., 120, 125.
Probus 83.
Pythagorei 129.

Romantici 68, 137.
Reitzenstein 10 1, 13, 15, 26 sq., 31, 37 2, 38 3, 41, 43, 45 1, 4, 5, 46, 46 3, 47, 47 1, 49 1, 51 6, 78 3, 81, 96.

Sallustius 111 3.
Sceptici 39, 44 sq., 52, 143.
Schady 13 2, 78, 109 1.
Schanz 43, 45 2, 97, 143.
Schmekel 36, 43.
Schürr 62 1, 134, 137.
Scipio 98.
Sedulius 65.
Sisenna 45 4, 46, 46 3, 47, 47 1, 126.
Sommer 47 sq.
Steinthal 17 1, 18 1, 24 sq., 27, 31, 38 sqq., 44 2, 55 sq., 62, 82, 114 1, 125, 133 sq. 139.
Stoici 10 1, 13, 26 sq., 34, 36 sqq., 45 5, 46, 48, 51 6, 84, 94sqq., 104 3, 140, 142.
Suess 48, 60 1, 67 3, 121 3.

Theodorus Gad. 24 1.
Tolkiehn 73, 73 2.
Trypho 48.

Usener 11 sqq.

Varro 64, 68, 72 1, 74, 139 3.
— num Θέσεως propugnator? 26 sq.
— quatenus ab aliis pendeat 15 sq., 22, 56.
Vendryes 116 1.
Vossler 133, 135, 137.

Wilmanns 12 1, 28 sq., 33 4, 34, 34 1.
Winkel (Te) en De Vries 78 5, 113 1, 116 2.
Woldt 84 1, 106 3.
Wundt 71 1, 134, 135 3, 4.

INDEX LOCORUM.

Augustinus V 494 3-5; 132.

Charisius K. I 1; B. 1; 67 3.

Charisius K. I 50 sq.; B. 61 sqq.; 11 sqq., 33, 67 sq., 99 1, 102 2, 104, 108, 131 sq.

Charisius K. I 116 sq.; B. 149 sq.; 73 sq.
— K. I 130 1-4; B. 165 10-15; 96.
Cic. N. D. II passim 42.
— Orat. § 155; 113.
— Orat. § 162; 107.
Concent. V 353 20-27 87 sq.

Diog. L. X 75; 49 sq.
Diomedes I 300 11, 12 64, 79.
465 4, 5; 84 1.
Donatiani fr. VI 275 73 sq., 84, 107.

Eutyches V 451 33-36 64.

Gellius VI 1; 40.
— XVIII 6; 84 1.
Greg. Magnus ep. 5, 53*a* p. 357, 33 (E-H); 143.

Horatius A. P. 53; 111 2.
— Ep. 2, 2, 115; 111 2.

Macrob. V 634 3, 4; 81, 106.
— Exc. Bob. V 631 5, 6; 107.
Marius Plot. Sac. VI 446 13-16; 85.

Pompeius V 166 7-10 97.
— V 232 3, 4; 106.
— V 241 31-34; 76 1.
Priscianus II 33 10; 115.
— 369 sqq; 72 sq., 110 1.
— 454 1-5; 86, 120.
— III 121 1, 2; 58 1, 63.
Probus IV 48 1, 2; 80, 90.
— 222 32, 33; 72.

Quintil. I 5, 38; 121 sq.
Quintil. I 6, 1; 13, 13 2.
— 6, 16; 32, 76 sq., 139, 139 1.

Scaurus VII 12 7-9; 104 3, 109 1.
Sedulius VIII 26 16-30; 65, 79.

Varro V 3; 28, 31.
— V 8; 27.
— VIII 1; 41.
— 6 coll. c. X 51; 14.
— 7; 28.
— 23; 29.
— 25; 17 3.
— 26 sqq; 44.
— 57; 33.
— 79; 33.
— IX 1; 37 sqq.
— 2; 15, 24 sq.
— 3; 32.
— 5, 6; 22, 22 4, 23.
— 6; 55 sq.
— 30; 64.
— 33; 20, 55.
— 34; 11 2.
— 50; 55.
— 62; 30, 30 2.
— 63; 10.
— 113; 20.
— X 35; 28.
— 51; 14, 28, 75 1.
— 74 sqq; 22, 22 4, 23.
— 74 55.
— fr. 115: Vide Char. K. I 50 sq. B. 61 sqq.
Victorinus (Max.) VI 189 3, 4; 132.
Victorinus (Marius) VI 7 35, 36; 77 sqq.

THESES.

I.

Non opus est coniectura, quam legimus apud NIPPERDEY-ANDRESEN Tacitus Ann.[6] XIV 44: „servis si pereundum sit, ni prodant."

II.

Male NIPPERDEY-ANDRESEN Tacitus Ann.[6] XVI 3 pro „ammirans": „affirmans".

III.

Iniuria enallagen invenisse videtur W. KROLL (Stud. zum Verst. der Röm. Lit. 1924 p. 259) apud OVID. Met. 5, 473: „repetita suis percussit pectora palmis" („sie schlug wiederholt ihre Brüste").

IV.

Ad vocem q. e. „commentos esse" apud MINUC. FEL. Octav. 16, 5 Belgice non satis respondet „bepeinsd hebben", quod habet J. VAN WAGENINGEN in commentario suo (Utrecht 1923).

V.

Non recte G. BOISSIER (L'Opposition sous les Césars[7] p. 154) OVIDII verba q. s. „creditur ille deus" (Tristia IV 4, 20) Francogallice sic reddit „l'un est un dieu imaginaire".

VI.

Iniuria de VERGIL. Georg. II 490—493 F. POSTMA (De Numine divino quid senserit Vergilius, Amstelod. MCMXIV p. 82): „Vergilius

videtur significare illud „rerum cognoscere causas" non esse neglegendum, sed deorum cognitionem sibi maioris esse momenti".

VII.

Non debuit afferre E. NORDEN (Ant. Kunstprosa I³ p. 83) CIC. Brut. 42: „Concessum est rhetoribus ementiri in historiis, ut aliquid dicere possint argutius", quo quid CICERO vel aequales eius hac de re sentirent demonstraret.

VIII.

Minus recte E. NORDEN (Ant. Kunstprosa I³ 204): „Ein Werk in dieser (sc. Sallustii) Sprache und in diesem Stil muszte auf die für Cicero schwärmenden literarischen Kreise abstoszend wirken ... Quintilian warnt vor der *Sallustiana brevitas* sqq."

IX.

Falso G. KOWALSKI (Eos XXXI 1928 p. 141) de VARRONIS L. L.: „In eis quae libri octavi disquisitionibus praemittuntur (VIII 1, 2), tres discriminum orae adumbrantur: *cur et quo et quemadmodum in loquendo declinata sunt verba.* Duae priores videntur eaedem esse atque ex *trinis copulis* (sc. *δυάσιν*) in libri noni prooemio expositis (IX 1, 4) prima *naturae et usuis*, secunda *multitudinis ac finis*".

X.

Ad HEROD. VII 224 *„ἀνδρῶν ἀξίων γενομένων"* H. STEIN: „die es verdient haben", sc. *πυθέσθαι τὰ οὐνόματα αὐτῶν* .... falls nicht *λόγου* .... zu ergänzen sqq." Nil tale supplendum puto.

XI.

BARWICK (Remm. Palaemon und die Röm. Ars Gramm. Leipzig 1922 p. 97) minus recte de *κυριολογίᾳ:* „Die Stoiker legten auf sie ein so groszes Gewicht, dasz sie selbst vor obszönen Ausdrücken nicht zurückschreckten und ebensowenig vor kühnen sprachlichen Neubildungen, wenn sie die Sache zu erfordern schien".

XII.

Nulla necessitate coactus F. NOVOTNÝ (Eos XXXI 1928 p. 199 sqq.) in PLATONIS Epist. VI 322 D pro vocibus q. s. „*γέρων ὤν*" substituit „*γερόντων ὄντων.*"

XIII.

AESCHYLI versus q. s. (Hel. N. fr. 70):

Ζεύς ἐστιν αἰθήρ, Ζεὺς δὲ γῆ, Ζεὺς δ' οὐρανός,
Ζεύς τοι τὰ πάντα χὤτι τῶνδ' ὑπέρτερον

pantheismum, ut aiunt, quodammodo spirant.

XIV.

LERSCH (Die Sprachphilos. der Alten, Bonn 1838—1841, I 21) leidt zonder voldoenden grond uit Socrates' vraag: *Πότερον .... περὶ γραμμάτων ἐάν τις ἔρηταί σε, πόσα καὶ ποῖα Σωκράτους ἐστίν, ἄλλα μὲν πρότερον, ἄλλα δὲ νῦν πειρᾷ λέγειν;*" (XENOPH. Memorab. IV 4. 7) af, „dass der Sophist nicht ein bestimmtes System abgeschlossener Gedanken bei seinen Unterredungen festgestellt, sondern nach seinem jedesmaligeń Zwecke die Buchstaben- und Sylbenlehre gemodelt habe."

XV.

De ruimere interpretatie van *γαμεῖν*, waardoor SCHMEKEL (Die Philos. der mittleren Stoa, Berlin 1892, p. 362_2) de schijnbare tegenstrijdigheid, bestaande tusschen ZENO's uitspraken: „*καὶ γαμήσειν* (sc. *τὸν σοφόν*)" en „*κοινὰς εἶναι τὰς γυναῖκας δεῖν παρὰ τοῖς σοφοῖς*" tracht op te heffen, is onnoodig.

XVI.

De voorstelling van ROB. PHILIPPSON (Ph. W. S. 27 Juli 1929 Sp. 923 sq.), alsof volgens DEMOCRITUS en EPICURUS de woorden oorspronkelijk afbeeldingen zijn der dingen, is onjuist.

XVII.

KANTS stelling: „Das Schöne ist das, was ohne Begriffe als Objekt

eines allgemeinen Wohlgefallens vorgestellt wird" (Kritik der Urtheilskraft[4] ed. K. Vorländer Leipzig 1913 p. 48) is te verwerpen.

XVIII.

Onjuist is de meening van A. RAUSCH (Neue Jahrb. 1903, 2, p. 243) „der Apostel Paulus hat die Lehre der Stoa als eine Vorstufe des Christentums gekennzeichnet."

XIX.

Ten onrechte ontzegt BIRT (Rom. Karakterbeelden, bewerkt door N. J. SINGELS p. 257 sq.) den antieken mensch alle zondebewustzijn.

XX.

De genetische methode der historiographie, zooals BERNHEIM die beschrijft in zijn Lehrbuch der Historischen Methode[6] 1908 p. 32 sqq., doet de geschiedenis geen recht wedervaren.

XXI.

OTTO SEECKS karakteristiek van het Christendom (Gesch. des Untergangs der antiken Welt III p. 175—242) lijdt aan grove misvattingen.